Mengis L. Vespiae

DIŒCESIS SEDUNENSIS
DECRETA SYNODALIA

ANNI MDCXXVI, XXV. APRILIS.

INSTRUCTIO PRACTICA

PRO NEO-CONFESSARIIS.

EDITIO NOVA

MENDIS PURGATA ET NOTIS NECESSARIIS LOCUPLETATA

AUCTORITATE ET STUDIO

REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI DOMINI

ADRIANI JARDINIER

EPISCOPI SEDUNENSIS.

RATISBONÆ.

TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOST. TYPOGRAPHI.

MDCCCLXXXIII.

CONSTITUTIONES

ET

DECRETA SYNODALIA DIŒCESIS SEDUNENSIS

IN ECCLESIA CATHEDRALI SEDUNI

EDITA ET PROMULGATA

DIE XXV. APRILIS ANNO CHRISTI MDCXXVI,

PRÆSIDENTE

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO DOMINO

HILDEBRANDO JODOCO

EPISCOPO SEDUNENSI.

HILDEBRANDUS JODOCUS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

SEDUNENSIS EPISCOPUS

PRÆFECTUS AC COMES VALLESIÆ ET S. R. I. PRINCEPS etc.

UNIVERSO CLERO POPULOQUE
NOSTRÆ CIVITATIS ET DIŒCESIS SEDUNENSIS PACEM
ET EPISCOPALEM BENEDICTIONEM.

Plures sunt anni, cum plura collecta habuimus, quæ ab ipso suscepti Episcopalis officii exordio notari cœpta, ad exoptatum nostræ Diœcesis statum conducere judicabamus. Ea ipsa de Illustrium, Reverendorum, Venerabilium Dominorum Decanorum, reliquarumque Dignitatum, et Canonicorum nostræ Cathedralis Sedunensis Ecclesiæ consensu, in nostra Diœcesana Synodo Anno MDCXXVI, non tantum fuerunt promul-

gata; verum etiam ab omnibus, qui eidem Synodo per nos legitime congregatæ, et ex præscripto sacrosancti Concilii unanimi assensu sunt acceptata. Nunc aliquando eadem æneis consignata typis, superatis omnibus, quæ diu multumque nostris conatibus, et votis obstiterunt, difficultatibus, eo fine in lucem evulgantur, ut quæ post longam complurium annorum observationem et experientiam, ad Dei gloriam et animarum salutem sunt decreta, tot Venerabilium, Reverendorumque Patrum consensu, et assensu acceptata, illa ab universo inposterum nostri Episcopatus Clero populoque observentur. Quare pro ea, quam in vos habemus auctoritatem, pro reciproca, qua vos in nos obstricti estis observantia, per Jesu Christi Domini nostri viscera, et sanguinem, cunctos rogamus, et vero jubemus, ut universi, pro status, officiique sui partibus, et munere, in exactam horum Decretorum incumbant observationem. Etsi prout res fert, aliquas subinde sacræ scripturæ Canonum, sacra-

rum tam Generalium, quam Particularium Synodorum producamus auctoritates, multo tamen plures conticemus. Quin indocti credent, docti recognoscent, nihil in his Decretis haberi, quod divinis litteris, sacris Conciliis et Canonibus, Sanctis Patribus et Theologiæ Doctoribus, vel acceptum non referri debeat, vel conforme non sit; quod vel unum ad diligentem nostrorum Decretorum observationem, universos vehementer commovere potest, debetque. Ne quis porro ullam ignorationem possit prætexere, mandamus omnibus Parochis, aliisque omnibus curam animarum habentibus, ut has nostras Constitutiones comparent, inter libros suarum Parochiarum inscribant, suis successoribus relinquant, comparatas legant, lectas intelligere studeant, intellectas data quæsitaque occasione, etiam pro concione populo edicant, ipsi observent; et ab universis, quibus poterunt modis, curent observari; dum hæresum, si quæ supersunt, reliquiæ extirpentur, dum divinus cultus, Catholica-

que religio augeatur, dum emendatis vitiis vitæ Christianæ sanctitas toto nostro Episcopatu efflorescat, qui unus finis est, ob quem has Constitutiones evulgamus et evulgatas observari mandamus.

In nostra Sedunensi arce alias Majoriæ, die 28. April. Anno Domin. 1635.

CONSTITUTIONES SYNODALES DIŒCESIS SEDUNENSIS.

CAPUT I.

De Religione et Fide Catholica.

Paragraphus

1. Professio fidei orthodoxæ.
2. Loca, et exercitia pravæ religionis interdicta.
3. Libri, et imagines contra Fidem et bonos mores, prohibitæ.
4. Superstitiones, et magia tollenda.

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis: Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Paragraphus I.

Professio Fidei orthodoxæ.

Nos Hildebrandus Jodocus Dei, et Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Sedunensis, Comes et Præfectus Vallesiæ, S. R. I. Princeps, etc. Una cum tota Diœcesis nostræ Synodo in Spiritu Sancto legitime congregata, principium a vera, et orthodoxa Religione facturi, Unam, Sanctam, Catholicam et Romanam Fidem a Christo Apostolisque profectam, ab Ecclesia Christi receptam,

explicatam, definitam, traditamque amplectimur, credimus et profitemur; contraria vero et adversantia huic veræ Fidei dogmata repudiamus penitus, ac anathematizamus. Idem universo Diœcesis nostræ Clero ac populo injungimus, et ad solidum, firmum indefessumque religionis et fidei studium, usum atque exercitium, ad omnimodam in ea perseverantiam, omnes et singulos exhortamur. Mandantes ut professionem fidei ex bulla Pii IV[1]) quæ incipit: *Injunctum nobis* etc. petitam et in Christi Ecclesia consuetam, in promptu habeant illi, quorum interest, eamque ubi usus necessitasve postulaverit, emittant atque emitti curent ab iis, quorum res agitur, cujusmodi sunt ab hæresi resipiscentes, vel de illa suspecti, necnon beneficiati beneficio curam animarum habente, et alii de quibus *C. T. (S. 24. c. 12. De reform.)* Formula professionis Fidei Latina, Germanica, et Gallica inferius post constitutiones Synodales seorsim reperietur.

Paragraphus II.

Loca et Exercitia pravæ Religionis interdicta.[2])

Omnibus et singulis cujuscunque status et conditionis hominibus, sub pœna LX. Lib. Maurisiensium, et nostræ indignationis, toties quoties incurrenda, inhibemus, ne quis famulatus, opificii, mercaturæ, linguæ, vel scholæ literariæ gratia, ullam sectariorum urbem,

---

[1]) Cum additamentis Pii PP. IX. In fine vol.

[2]) Videat quivis quid adjuncta facere permittant.

pagum, castrumve, ad moram inibi diuturniorem faciendam adeat, cœnam (ut vocant) sumat, Matrimonium solemniset, infantes ibi baptizandos, et mortuos sepeliendos adsportet. Parochos, Concionatores, et Confessarios gravissime monemus, ut invigilent, ne Christianæ oves fœda atque hæretica scabie inficiendæ, relicta Christi caula ad suilia siliquasque hæreticas se conferant, mentem hæresibus, ventrem prohibitis cibis repleant, repletæ denique ac bene impinguatæ, alias Christi Domini oves et agnos (ut vulgo fit) post suum in Patriam reditum inficiant, infectasque perdant, juxta illud. *(1. Cor. 5.) Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et *(Psal. 17.) Cum perverso perverteris.* Parochi proinde, quibus velut pastoribus ea proprie cura incumbit, et alii Catholicæ religionis amatores et zelatores re probe et mature intellecta, nos quantocius commonefaciant, ut tanto malo (quod antehac Patriam Episcopatumque nostrum destruxit, ac propemodum perdidit) occurrere, tempestiveque mederi possimus.

Paragraphus III.

Libri et Imagines contra fidem et bonos mores prohibitæ.

Librorum prohibitorum (cujusmodi sunt hæretici vel de hæresi suspecti, superstitiosi, magici, amatorii, scurriles, obscœni, impuris imaginibus, emblematis, et id genus aliis picturis aspersi, famosi, inhonesti etc.), iconum quoque spurcarum, venerearum, hæresiarcharum, et aliarum quarumcunque contra fidem, ac bonos mores

facientium usum, emptionem, venditionem, et publicam sive privatam domi retentionem penitus interdicimus. Quemvis insuper exhortamur, ut libros tales et imagines cuivis habenti impune eripiat,[1]) Censoribus Ecclesiasticis tradat, ut secundum antiquissimum Ecclesiæ morem *(Act. cap. 19.)* bonis flammis typus corrigatur. Possessores talium librorum et imaginum prohibitarum, si prius amice ad ea promenda moniti non acquieverint, sed se potius rebelles et pervicaces exhibuerint, eos pœnis Ecclesiasticis coercebimus; incorrigibiles adhibito Pastorali Pedo, Regaliæque autoritate, emendabimus.

Paragraphus IV.

Superstitiones et Magia tollenda.

Superstitionem quamcumque, et Magiam, utpote vero Dei cultui diametraliter oppositam, severissime inhibemus, pastoresque animarum gravissime monemus, ut pro concione in illa crebro[2]) invehantur; mala cum spiritualia, tum temporalia inde emergentia populo proponant, exaggerent, et explicent: in superstitiosos (si quos deprehenderint) et vero fatidicas, divinatrices, febrium et aliorum morborum signatrices, ut vocant, mulierculas graviter animadvertant, invocato etiam, si opus sit, vel nostro auxilio, nisi lenioribus, et facilioribus se mediis submittant, et resipiscant.

---

[1]) Non ubique licet.
[2]) Id vix unquam expedit.

CAPUT II.
De Personis Ecclesiasticis.

Paragraphus

Paragraphus I.
Prælati, Dignitates, et Canonici Cathedralis Ecclesiæ Sedunensis.

Digno plane et competente titulo, Prælatos Ecclesiæ Christus affecit: *(Matth. 5.) Vos estis lux mundi. Non potest Civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt etc.* Ideo lux mundi dicuntur, ut Ecclesiæ, cui post Episcopos dignitate et auctoritate præsunt, virtute et pietate præfulgeant. Ideo super candelabrum Ecclesiæ positi sunt, ut luceant omnibus qui in domo Dei sunt. Ideo ut Civitas supra montem collocati sunt, ut sicut

dignitate præcellunt, ita etiam verbo et exemplo præeant et excellant in reformanda, retinenda, et conservanda Ecclesiastica disciplina; in promovendo Dei cultu atque juvando ac manutenendo omni opera, consilio, favore, amore, officio, et obsequio suo Episcopali. Quocirca invigilent diligenter Dignitates et Canonici, ut juxta statuta canonica in Domino vivatur, disciplina debita servetur, cultus divinus rite peragatur, Episcopus cum Episcopatu foveatur, juvetur, in suo esse conservetur, atque pristino nitori restituatur. Et quia homines sumus, nihilque humani a nobis alienum putamus, dent sedulam Prælati operam, ut delinquentes mature emendentur: ita tamen ut plus juris sibi, et auctoritatis in puniendo non assumant, quam legitime competat. Meminerit venerabile Capitulum visitari juxta Sanctiones canonicas potissimum *Conc. Trid. (Sess. 6. cap. 4. de reformatione;* et *Sess. 25. cap. 6. de reformat.),* corrigi se, et emendari etiam Apostolica auctoritate toties, quoties opus fuerit ab Episcopo suo posse. Cæteris autem in rebus, Capituli Jurisdictionem et potestatem, quæ eis competit, cum bonorum administratione, salvam et intactam omnino juxta idem Conc. Trident. relinquimus: sicut et laudabiles consuetudines usu ipso receptas et a nostris Prædecessoribus pie approbatas adhuc in præsentiarum approbamus et confirmamus. Omnem moveant lapidem, ut Jura omnia, ut instrumenta, ut Jurisdictiones, ut fundi etc., sarta tecta conserventur, amissa recuperentur; videant diligenter, ut jura Episcopalia et id genus alia ad Episcopatum

pertinentia non amittantur, et amissa restituantur. Maxime vero attendat, ut morituro Episcopo, bono numero adsint Canonici, animam Deo commendent, claves ad Jura episcopalia quamprimum ab œconomo et Camerariis exigant, diligenter asservent, necnon ex Dignitatibus duo in arce Episcopali, toto vacantis Sedis tempore, diu noctuque permaneant,[1]) ac rem ita gerant, ut Successor Episcopus plena auctoritate, plenis juribus, possessionem plenissimam quiete et pacifice capere possit. Alia Canonicis et Clericis communia videri suis quæque locis, capitibus, et paragraphis infrascriptis poterunt, potissimum capite sequenti de vita et honestate Clericorum.

Paragraphus II.

Vicarii rurales.

Multum situm est in officio Vicariorum Ruralium, ut Episcopus variis distentus negotiis, per eos nonnihil sublevetur, Clerus populusque supra et infra Morgiam in officio contineatur, cultus divinus augeatur, virtus excolatur, vitia tollantur. Novem[2]) proinde per Nos, vel Nostrum Vicarium Generalem in Spiritualibus et Temporalibus omnino Vicarii Rurales eligantur probatæ vitæ, et eruditionis, magnæque experientiæ viri. Electi se quamprimum nobis sistent, pro facienda fidei professione, pro

---

[1]) Nisi exceptio a V. Capitulo facienda opportunior videatur.

[2]) Hodie sunt omnino undecim.

præstando obedientiæ et fidelitatis Juramento, ac denique pro accipienda Vicariatus Ruralis confirmatione, sine qua nemini fungi officio tali permittimus. Officium ejusmodi Vicariorum erit quotannis[1]) semel Capitulum cum confratribus celebrare; illis Constitutiones Synodales prælegere; ortas subinde in eis intelligendis, vel ad praxim redigendis difficultates explicare; gravaminibus cum Ecclesiasticorum, tum Laicorum occurrere, consulere, sublevare; in vitam, mores, doctrinam et munus Cleri, populique inquirere; Ecclesias, Sacram supellectilem, prædia visitare; in census beneficiorum, decimasque inquirere; Hospitalia, ac eorum Jura et proventus diligenter inspicere; Clericorum ædes et familias studiose lustrare; defectus et excessus minores corrigere; majores vero, cujusmodi sunt scandala, hæreses, lectio vel retentio librorum prohibitorum, ad Nos referre. Omnes suæ Jurisdictionis Ecclesias annis singulis obibunt,[2]) quid cuivis loco desit annotabunt, minora reformabunt, majora nobis commendabunt; quid denique in annua visitatione fecerint, quid notaverint, quid improbaverint, approbaverintve, quid emendaverint, vel emendandum duxerint, id omne scripto clare, perspicue, succincte, atque sincere comprehensum Nobis actutum repræsentabunt: In negligentes graviter animadvertemus. Charitas exigit ut Confratres

[1]) Capituli celebratio sicut et publica constitutionum lectio jam vix possibilis.

[2]) Ex recentiori ordinatione, nonnisi alternis annis fieri jubetur.

tamquam membra de membro mutuo se foveant in Christo, mutuo amplectantur, sibique opitulentur; cujus rei specimina crebriora dabunt, ut sit Ecclesiasticorum cor unum et anima una, sicut est omnium Sponsa una Christi Ecclesia. Anteibit omnibus exemplo quivis Vicarius in districtu suo, maxime cum aliquem ex Confratribus suis morbo laborantem intellexerit, ut eum invisat, soletur, ei necessaria cum spiritualia, tum temporalia subministret; ut omnes intelligant Ecclesiam Dei Ministris suis novercam non esse, sed matrem; charitatemque in Ecclesiasticis ad se mutuo fovendos, ac juvandos usque ad extremum vitæ spiritum, vulgarem non esse. Ita fiet ut Clerus, et populus ubique locorum non parum ædificetur, et Ecclesia Dei miris laudibus extollatur. Vicariorum denique erit Nos, vel Fiscum Nostrum quantocius certiorem facere de morte defuncti Curati. Ante omnia meminerint Justorum defuncto persolvendorum, ut nihil desideretur, advocatis aliunde aliquot ex confratribus Sacerdotibus. Quod si tam curta defuncti supellex esset, ut sumptibus funebribus par non foret, reliquum ex fabrica Ecclesiæ, cui deservivit, sumatur, vel aliunde (si fabrica ipsa laboret) accipiatur. De successore idoneo quamprimum provideatur, ne viduata diu maneat Ecclesia. Interea temporis Vicarius ruralis, vel ipse, vel per alium viduatæ inserviat Ecclesiæ, percipiendo et gaudendo pro rata ejus temporis beneficii fructibus, donec alius eligatur et canonice instituatur.

Paragraphus III.

Curati seu Parochi.

Parochorum seu Curatorum munus quantum sit, vel ex eo patet, quod tanquam legitimi Pastores pascere suas oves, et pro illis mori (ubi opus fuerit) debeant, ut docet Christus, *(Joan. 10.)* Cum ergo pascere verbo, et exemplo gregem Christi teneantur, facile est videre, quanta in eis virtus, quanta scientia, quanta dexteritas et experientia, quanta denique in omnibus prudentia requiratur, ne cum ædificare putant, destruant potius. Eam ob rem posthac studiose cavebitur, ne quisquam ad ullam, quantumvis exiguam, animarum Curam admittatur, qui non minimum Rhetoricam absolverit, Casus conscientiæ et fidei Controversias per biennium cum fructu audiverit, cantum Choralem didicerit[1]) allatis et ostensis hac de re luculentis testimoniis. Videant porro diligenter, ut per ostium in ovile ovium intrent, et non aliunde tanquam fures et latrones ascendant, *(Joan. 10.)* Caveant a simonia, dolo, fraude, deceptione, ne postmodum (ut fit) oves ab hujusmodi fugiant, et vocem eorum non audiant, uti prædixit Christus, *(Citato cap. 10. Joan.)* Adepti bono jure et non simoniace vel fraudulenter beneficia parochialia, iis se ante nostram approbationem nequaquam immisceant, sed quamprimum Sedunum veniant,[2]) se legitimo et ad Curam animarum facienti exa-

---

[1]) Verbo: omnibus seminarii præscriptionibus satisfecerit.

[2]) Serventur consuetudines hodiernæ.

mini subjiciant, ut vel ad illa beneficia administranda, et animas curandas admittantur, vel ab illis repellantur. Idque toties quoties de nova parochia provisi fuerint. Ejusmodi examen sustinebunt, et omnes parochorum Vicarii; ne, ut solet, quod Parochi ædificant, Vicarii destruant. Ubi ergo ad parochiale officium admissi fuerint, caveant ne se potius quam oves quærant, suisque studendo privatim commodis, salutem ovium negligant. Ante omnia notas et bene exploratas habeant sibi commissas oves, cui rei inservient Baptismi, Confirmationis, Matrimoniorum contractorum, Defunctorum denique catalogi, in quibus nomina, cognomina, et patria (si sint exteri) cum diei, mensis et anni accurata annotatione describentur, ut omnia probe legi ab ipsis et successoribus queant. Ita fiet ut tricæ quam plurimæ circa Matrimoniorum et Sacrorum Ordinum susceptionem oriri solita vitentur, dubia, difficultatesque solvantur, impedimenta comperta habeantur, postremo infinita mala, quæ ex talium rerum ignorantia emergere solent arceantur. Missas, divinaque officia, magna cum animorum puritate ac devotione, peragant; Sacramenta pari munditie administrent; prævia (ubi Confessariorum copia fuerit) confessione vel minimum contritione, cum proposito prima quaque occasione confitendi. *(Juxta ea, quæ habet Concil. Trident. Sess. 13. cap. 7.)* Ægrotos ultro, etiam non vocati, invisant, recreent, exhortentur, Sacramentisque reficiant. Verbum Dei Dominicis, festivisque diebus populo proponant, luculenter explicent, non altis et ultra captum

2 *

auditorum conceptibus et discursibus terentes tempus, et jactantiæ, vanæque gloriolæ potius quam animarum saluti et utilitati studentes. Sint in catechizandis suo loco et tempore rudibus et imperitis assidui; cum ordinarie major ex catechismo, quam concionibus fructus hauriatur.

Festos dies, supplicationes, jejunia, anniversaria, contractus matrimoniales distincte promulgent; nullas vero citationes vel litteras, nisi de nostra vel Vicarii Generalis, aut nostri Officialis auctoritate et titulis, sigillisque nostris expressissime munitas, ad proclamandum vel annuntiandum suscipiant. Jura parochialia, Titulos, Recognitiones perlustrent, et ubi opus fuerit, renovari curent, ne vetustate atterantur. Bona Ecclesiastica, decimas, census, prædia, et id genus alia ad Ecclesias suas pertinentia pro virili defendant, invocato hac in re, si videatur, nostro auxilio. Caveant insuper, ne per incuriam eadem imminuantur, obscurentur, amittantur; ne oppignorentur, ne debitis graventur, ne diutius locentur; ne fundi, census, decimæ et alii proventus vendantur, vel ullo modo sine nostra expressa licentia alienentur. Domum parochialem curent mundam, sartam, tectam; idem de horreo, penu, stabulo etc. Ecclesias suas mundas, et nitidas conservent, fenestras, parietes a pulveribus et aranearum telis sæpius purgent, et pavimentum a sordibus. Paramenta Sacerdotum et Altarium rite componantur, laventur, mundentur, reficiantur. Reliqua supellex sacra, et utensilia pari modo curentur. Vicarios suos et alios Ecclesiasticos ministros ita tractent, ut nulla sit de

habitatione, victu et amictu justa querela; nimiis laboribus, et inusitatis in Ecclesia oneribus non graventur, non vexentur, nec a domesticis vexari sinantur: uno verbo ita amice, benevole et humaniter tractentur, ut differentia inter alios domesticos, et ipsos tanquam Christi et Ecclesiæ legitimos ministros habeantur. Tempore pestis vel similis periculi, oves suas ne deserant, vitam potius pro illis ponant. In desertores ovium ceu mercenarios graviter animadvertetur.

Paragraphus IV.

Vicarii Parochiales.

Vicarios seu cooperatores in divinis nemo parochorum assumat, vel eorum opera in Sacramentorum administratione utatur, nisi prius a Nobis sint legitime approbati. Norint Vicarii se iisdem in animarum cura administranda subjacere oneribus, quibus ipsi Parochi, cum vices eorum gerant: proinde eadem ab ipsis, quæ a parochis superiore paragrapho, requiri. Nec Vicarius, nec Parochus ullus alienis parochianis,[1]) sine propriorum parochorum licentia, extra casum necessitatis, Sacramenta ullo modo dispensent, idque sub pœna arbitraria. Vicarii parochis suis exacte pareant, potissimum circa usum et administrationem Sacramentorum, ut non omnia pro arbitratu suo, sed prout ipsis a parochis præscriptum injunctumque fuerit, prompte expediant.

---

[1]) In alienis ecclesiis.

Paragraphus V.

Sacellani.

Sacellani sciant se a Patronis solis institui ad talia beneficia sine gravi Ecclesiæ præjudicio non posse; proinde videant quid agant non tantum ipsi, sed etiam Patroni. Sacellanis, ut sic, nulla conceditur potestas administrandi Sacramenta, sed tantum Missas legendi, et horas canonicas recitandi. Caveant Sacellani ne quicquam derogari juribus Sacelli sinant, potissimum in oblationibus, quas sibi Laici vel patroni, vel procuratores ipsi reservare nonnunquam solent pro fabrica, ut ajunt, dando duos vel tres ex tota oblatione grossos ei qui celebravit. Intolerabile prorsus est, ut oblata in altari a laicis accipiantur et in alium usum convertantur.

Paragraphus VI.

Rectores Altarium.

Rectores altarium pleraque communia cum Capellanis habent. Attendant diligenter, ut fundationibus fiat satis, qua celebrando, qua Horas canonicas recitando. Altaria sua cum paramentis et ornatu integra, incorrupta, mundaque conservent. Quod reliquum est temporis, id utiliter cum aliis Clericis in cultu divino terant, ne otio tepescentes in vitia prolabantur. Prælatis et Superioribus suis morem gerant, illos debite observent, bene monentibus non obstrepant, sed correctionem paternam æquo animo suscipiant.

Paragraphus VII.
Clerici inferioris ordinis.

Clerici inferiores, cujuscunque gradus, sive sacris, sive minoribus duntaxat ordinibus initiati sint, choro assidue, tempestive, decenter et modeste intersint; Horas canonicas rite persolvant, non sincopando, ut vocant, integraque verba absorbendo, non præcipitando, sed integre et devote singula inter psallendum, cantandumque efferendo. Dum divina decantantur officia rudiores doctioribus cedant, non nimium attollendo vocem, nec nimium accelerando, potissimum cum nonnulla communia canuntur, qualia sunt votiva etc.

Paragraphus VIII.
Clerici peregrini.

Clericis peregrinis diligentissime attendatur, cum multi ex illis sint subreptitii, vel non Sacerdotes, vel apostatæ Religiosi, vel profugi, vel infames, vel aliquo canonico impedimento irretiti.

Nemo ergo, Sacerdotem extraneum [1]) ad celebrandum, ad prædicandum, ad administranda Sacramenta, nisi de expresso mandato nostro, vel Vicarii Generalis facultate admittat; idque sub gravissima indignationis nostræ pœna. Quod si vi in Ecclesiastica munia se ingerere attentaverit, id quamprimum Fiscali nostro, vel Nobis innotescat, ut dignis arcere pœnis ejusmodi

[1]) Ignotum vel testimonialibus litteris destitutum.

opportune valeamus. Qui vero sint admittendi, nostrum erit dijudicare, ut approbati et admissi authenticas a nobis litteras repræsentare per totam Diœcesim nostram queant.

Paragraphus IX.

Religiosi.

Religiosi cum alios ad virtutem pertrahere suo exemplo debeant, plurimum refert, ut tales in Religiosis domibus eligantur superiores, qui spiritualibus et temporalibus rebus non sine singulari emolumento præfici possint. Proinde volumus ut tales eligantur, qui nec luxus, nec prodigalitatis, nec avaritiæ, nec incontinentiæ, nec infamiæ vitio laborent; sed viri boni, pietate et probitate conspicui, viri graves et judicio maturi, viri singulari rerum bene gerendarum prudentia præditi; tales denique, qui vere Patres spirituales, non Domini, esse et haberi velint, suosque Religiosos non ut servos, sed ut filios habere, fovere, amare, tractare soleant. Ita enim fiet, ut amor, reverentia, et observantia inter ipsos floreat, sine quibus status Religiosus subsistere non potest. Videant in Domino Superiores, ut tria religiosa Vota, Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ stricte observentur, velut tres columnæ firmissimæ, quibus Religiosum ædificium fulcitur, et vel una ex his deficiente, corruit. Paupertas ita servetur, ut nemo apud se, vel alium pecuniam, vel id genus alia habeat. Nemo fundos, vineas, prata, agros etc. tanquam suos habeat, colat, fructusque tanquam

suos colligat, sed omnia in usum communem convertantur: hæc enim Religiosæ paupertati directe sunt contraria, religiosarumque familiarum pestis. Quocirca Superiores invigilent, ut duo illa *Meum* et *Tuum* practice ex ædibus Religiosorum relegentur; omnia sint communia, mensa una, cui ordinarie Superiores intersint, et attendant ut debita temperantia, modestiaque servetur; semper aliquid spirituale ex bonis, probatisque auctoribus legatur; ut sicut corpus, ita etiam anima suo pabulo reficiatur. Una omnium sub eodem tecto sit habitatio, dormitorium unum cum sua[1]) cuique Religioso cella seu cubiculo, et lecto. Nemo quicquam clausum sine Superioris facultate habeat, paratusque sit quilibet promere, ostendere, et dare Superiori quotiescunque id requisitum fuerit, ut de eo ad voluntatem ipsius disponatur. Dent operam Superiores, ut victus et vestitus, ut cætera Religiosæ vitæ necessaria, prompte et religiose, non sordide, ac tenaciter singulis subministrentur ex communibus domorum religiosarum facultatibus, dum valent vel ægroti sunt Religiosi, ne justam querendi occasionem arripiant, et quod pejus est, ad pristinam, contra votum paupertatis, licentiam redeant.

Castitatis voto ut fiat satis, fæminæ omnes a locis conventualibus excludantur: extra septa locorum talium accessum habere poterunt, ita tamen ut ubique honestatis ratio habeatur, et scandali periculum, vel occasio excludatur. Viro-

---

[1]) Suas quisque Ordo servet regulas.

rum opera in subeundis Monasteriorum laboribus potius utantur, quam mulierum, ne familiaritas etiam extra septa suspicionem aliquam, et scandalum pariat. Peregrinæ insuper mulierculæ, et puellæ, quæ fortassis vel eleemosynæ, vel voti, et peregrinationis causa ad templa Religiosorum convolant, intra domum nullo modo admittantur, quocunque paupertatis, necessitatis, et honestatis prætextu, cum occurri talibus aliter, et citra ullam suspicionem possit a bonis, probatæ vitæ, et regularum observantissimis Religiosis: in quorum Monasteriis, aut Domibus omnes quoque compotationes, utpote Castitati maxime contrariæ, studiose caveantur.

Obedientiæ votum quam exacte sit servandum, norunt omnes, ut sine quo nullum regimen constare potest. Nobis ergo Successoribusque nostris tanquam Episcopis Diœcesanis debitam reverentiam, et obedientiam in iis præstent, quæ jure Canonico, et Conc. Trident. passim complectuntur. Omnes Præpositis, seu Superioribus suis obediant, illisque, ut monet Apost. (*Hebreor. 13.*) subjaceant, ne invitis olim auribus illud audiant. *(Roman. 13.) Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et alibi: *(1 Reg. 3.) Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto* (Mundo in Religionem) *usque ad diem hanc : Sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis* (Satanæ, carni, et propriæ voluntati) *sic faciunt etiam tibi etc.* Quocirca rebelles, et inobedientes ita corrigantur, ut aliis exemplo sint. Nemo sine

expressa, vel implicita facultate pedem domo efferat; multo minus rus, vel ad compita, vel ædes exterorum se conferat. Et ne religiosæ disciplinæ nervus paulatim remittatur, atque adeo sancta obedientia sensim violetur, atque pessumdetur, si Religiosis subinde querulosis aditus ad amicos, et consanguineos exteros non præcludatur, monemus, et exhortamur serio Prælatos, et Superiores omnes, ut ejusmodi querulosis hominibus omnem potestatem præscindant adeundi, tractandi, et conquerendi apud exteros, sive consanguineos, sive alios. Quod si vi, vel dolose erumpant, graviter pro meritis excipiantur, nec ulla excusatio acceptetur; nec querulosa, et expostulatura parentela, amicorum necessariorumve caterva admittatur, ut qui nihil juris in querulosum amplius habent Religiosum, multo minus in ipsius Superiorem. Nonnullis Religiosis arcta nimis videntur claustra: eam ob rem nullum non movent lapidem, ut ad aliqua beneficia promoveantur, quo tantillum respirationis habere foris possint; dum eunt, redeuntque, atque adeo horas, dies, menses, et annos insumere, quod quidem parvum erga regulam, et institutum religiosum redolet affectum, et animum. Satius ergo est secularibus Ecclesiasticis beneficia dari, ut qui melius, cautius, et citra scandalum deservire possunt; Religiosis vero solitariam in Monasterio vitam agere, Deo per contemplationem, orationem, et omne genus virtutum vacare, choro interesse, Ordini suo, institutoque satisfacere, Christum sequi; *et sinere, ut mortui sepeliant mortuos suos. (Luc. 9.)*

Ne otium, malorum omnium origo, ullum in religiosa domo locum habeat, ita rem familiarem administrabunt Superiores, ut commodam ex superfluis nummis bibliothecam comparent; quotannis augeant paucis, sed bonis, et probatis authoribus, Religiosos hoc pacto ad privata in cellis studia pelliciant.

Magni refert ad reformandam stabiliendamque religiosam disciplinam, ut bonus, prudens, probus, et maturus habeatur, qui Novitiis præsit; eosque bene instituat, cum sint novellæ plantationes, horti conclusi, quæ fructum suum dabunt in tempore suo.

Multum etiam interest, habere ex doctioribus Patribus aliquem exhortatorem domesticum, qui subinde ad reliquos sermones, seu exhortationes spirituales habeat; regulas, institutumque explicet; et ad eas observandas, animos accendat, et foveat. Id genus mediorum est saluberrimum, olim, nostraque tempestate apud omnes Religiosos usitatissimum.

Superiores in gravioribus rebus Institutum, domusque administrationem spectantibus attentent nihil sine prævio suorum Religiosorum consilio, cum plus videant oculi, quam oculus. Alienent nihil sine nostra vel aliorum suorum Superiorum licentia. Caveant ne se, vel amicos, et propinquos suos ex bonis, et fructibus Religiosis locupletent: nihil tanquam suum (cum sint administratores tantum, et non Domini talium bonorum) et sibi proprium vindicent, possideant, vel aliis possidendum relinquant. Si quæ a Prædecessoribus alienata, vel oppignerata ali-

quando fuissent, dent operam, ut quamprimum redimantur, invocata (uti etiam aliis in rebus, et causis) nostro Episcopali auxilio.

Paragraphus X.

Procuratores templorum.

Procuratores [1]) templorum inter Ecclesiasticas personas retulimus non ratione subjecti, sed objecti tantum, quod est Ecclesiasticum. Eorum enim munus est, ut Ecclesiæ, ejusque ministris adsint consilio, et auxilio, non semper expectando dum ab Ecclesiasticis moneantur, sed omnem potius (si digne, et laudabiliter officio fungi velint) admonitionem præveniendo. Procurabunt ergo quæ sunt Ecclesiis necessaria ad peragendum divinum cultum, ut sunt luminaria, paramenta, ornatus, utensilia. Curabunt cum Parochis, Sacellanis, et Altaristis, jura, titulosque Ecclesiasticos, Census, Decimas, et id genus alia. Domos Ecclesiasticas, ut sunt templa, campanilia cum suis pertinentiis, ut vocant, Cœmiteria, Ossuaria, Domus Curæ, Vicarii, Sacellani, Altaristæ non negligant; nec prædia quæcunque Ecclesiastica, qualia sunt prata, vineæ, agri, horti; et si quæ in istis oriantur difficultates, si quæ gravamina, et incommoda, ea ubi probe perspexerint, et cum Ecclesiasticis personis contulerint, cum eorumdem consilio, approbatione, et consensu, populo gnaviter, fideliter, et constanter proponent, imperterrite cau-

[1]) Videat Parochus quæ ad Procuratorem, quæ ad Fabricam pertineant.

sam Episcopi propugnantes. Procuratorum præterea est populum Dominicis, festisque diebus ex cœmiteriis, triviis, et hospitiis in templum compellere: iisdem diebus pagos, possessiones, et silvas obire, et si qui laborent, circumspicere, punire, vel ad Fiscalem nostrum, ut multentur deferre. Videant etiam diligenter, ut populus tempestive adsit pro instituendis post Pascha solitis processionibus; absentes pro more notent, multent, pecuniam in Ecclesiæ fabricam referant. De fabrica Ecclesiæ dicetur sigillatim inferius.

CAPUT III.

De statu, vita, et honestate clericorum.

Paragraphus

1. Status Clericalis in genere.
2. Tonsura.
3. Vestitus.
4. Victus.
5. Cohabitatio.
6. Conversatio.
7. Exercitium.
8. Libri.
9. Residentia.
10. Privilegia Clericorum.

Paragraphus I.

Status Clericalis in genere.

Cum Clericus in sortem Domini sit vocatus, æquum est, ut vita, moresque tali statui conveniant; ut quia sanctior, excellentiorque est,

vita quoque probior existat. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. (Matth. 5.)* Mores proinde, vitamque ita componant Clerici, ut habitus, cultusque corporis, incessus, loquela, gestus, conversatio denique singularem gravitatem, et sanctimoniam redoleant, *ut Christi sint bonus odor in iis, qui salvi fiunt, odor vitæ in vitam. (2. Corinth. 2.)* Nostri igitur muneris est pauca e multis ex antiquo, novoque jure seligere; eaque coram studiose servanda brevi methodo proponere. (Qui plura volet, videat: *C. Clerici. ext. de vita et honestate Cleric. C. quisquis, distinct. 41. C. hospitiolum, dist. 32. C. Erubescant, dist. 22. Clement. 1. et 2. de vita et honest. Cleric. C. a multis, ext. de ætate et qual. etc. Item Conc. Trid. Sess. 14. in procem. de reform. Sess. 21. cap. 6. de reform. Sess. 22. cap. 1. Sess. 24. cap. 12. reform. Sess. 25. cap. 14. de reform.)*

Paragraphus II.
Tonsura.

Tonsuram Clericalem quivis suo ordini competentem ferat, renovetque crebrius. Barbam, atque capillos minus decoros nemo alat. Pili a labio superiore sæpe resecentur, ne in sumptione calicis Domini ulla irreverentia committatur.

Paragraphus III.
Vestitus.

Vestitus sit decens, et statui Clericali congruus; non vanus, non secularis, non

variatus, sed nigri (quia omnium optime convenit) coloris; non nimis pretiosus, nec etiam nimis vilis; ne propter excessum, et defectum probro status sacer habeatur. Vestes interiores (cujusmodi sunt inter alias, thorax et caligæ) habeant. Talari (præsertim in æde sacra, in urbe, pago etc.) vel porrecta infra genu minimum toga tegantur, quam nunquam domi, forisque exuent, præterquam in casu occulto, vel necessitate prudentis determinanda judicio. Præter prædictam togam alia adhuc superinducta talari veste, vel pallio ad talos demisso utentur,[1]) cum vel templum vel publicum aliquem locum honestum sunt adituri. Bireti seu quadrati pilei usum, in templo et civitate, qui ibi degunt, galeri vero honesti, cum peregre sunt profecturi, commendatum habeant.[2])

Paragraphus IV.

Victus.

Victus sit moderatus absque excessu, et defectu. Hospitia, et id genus alia similia loca vitentur, quantum fieri potest.[3]) Si a Clericis, vel honestis viris, vel amicis conveniantur, et sit domi curta supellex, tum per famulum petere ex hospitio, seu taberna poterunt necessaria ad exhibendam advenis charitatem. Ita tolletur omnis occasio scandali, quod generari in

---

[1]) Aut etiam palliolo, vulgo *Pélerine*.

[2]) Usus præsentis temporis in omnibus servetur, si aliud necessitas non exigat.

[3]) Vide allocut. habitam a Cels. Episc. die 1. Sept. 1882.

mentibus hominum plerumque solet, cum cernunt Clericos tam libere per hospitia, et alia ejus generis loca vagari. Convivia ne adeant, quæ communiter annexum habent ebrietatis, lasciviæ, scandali periculum. Æquales haustus, quantum fieri potest, et insanas, ut ajunt, sanitates (cum honestis enim, et moderatis dissimulatur) neutiquam admittant. In mensa Clericorum sex commendantur (ut videre licet *dist. 44. cap. Convivia c. pro reverentia, etc. non liceat.)* Primum est ut vita absentium non mordeatur. Secundum ut præsentes non irrideantur. Tertium ut inanes sæcularium ineptiarum fabulæ non recitentur. Quartum ut verba sacræ lectionis legantur, et audiantur. Quintum ut cibus, et potus non nisi ad necessitatis sustentationem sumantur. Sextum ut in principio, et in fine laudes Deo referantur.

Paragraphus V.

Cohabitatio.

Cohabitatio honesta (ut suus sit castitati locus) esse debet, non cum mulieribus, propter scandali, et peccati propinquam occasionem. Excipiuntur Mater, Soror, Amita, Matertera, et aliæ Consanguineæ per lineam rectam ascendentium, et descendentium, et lineam transversalem; nisi hæ haberent pedisequas, aut alias mulieres suspectas. Concubinarii, ni concubinas suas amoverint, a beneficiis suspendantur. Quod si necdum se emendaverint, ab eis perpetuo removebuntur, omni officio interdicto: *ne,* ut

ait Apostolus *(2. Cor. 6.) vituperetur ministerium nostrum,* cum homines ejusmodi refugiant (nec immerito) concubinatores Deo, Cœli et terræ incolis abominabiles.

Paragraphus VI.

Conversatio.

Conversatio sit cum viris probatæ vitæ; non suspectis, et infamibus; non cum puellis, et mulieribus; ob periculum, et scandalum: *qui enim amat periculum, peribit in illo. (Eccl. 3.)* Et *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. (Eccl. 13.)* Nihil commercii cum joculatoribus, histrionibus, luctatoribus, digladiatoribusque habeant. Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, lusibus et spectaculis minus honestis, saltem præsumptis talibus, penitus abstineant. Dedecet etiam videre Clericum in plateis, circulis, ac officinis, opificium, horas aliquot inutiliter terentem garriendo, ridendo, fabulando, jocando, et nonnullas aliquando levitates exercendo. Divites denique juxta ac pauperes omnes amplectantur in Domino, cum necessitas, ratio, et unctio Spiritus docebit; ita tamen agant, ne pix tacta inquinet.

Paragraphus VII.

Exercitium.

Exercitium Clerici non sit inhonestum, et sordidum: tabernas publicas non exerceant. Laniones, coriarios, fabros lignarios, ferrariosque publicos, mercatores, medicos, chirurgos, et apo-

thecarios non agant. Vilia, immunda, et agrestia non tractent, cujusmodi sunt arare, seminare, occare, stercorare, metere, vehere, triturare, rigare, sepire, fodere, ligna in silvis cædere, et avehere, pecora pascere, stabulari etc. Suas in iis agrestibus laboribus operas visitare, nonnunquam monere, et impellere, contra decorum non est; sicuti vites, et ex arboribus ramusculos pro recreatione putare, plantare seu inserere, hortulum colere, imo pro necessario corpori exercitio, clam, vel intra privatos parietes fodere, ligna findere etc. Fugiant negotia, et officia secularia Advocatorum, Procuratorum etc. apud judicem sæcularem. Tabellionatus officium Clericis in majoribus constitutis Ordinibus penitus est interdictum. (*Ex tract. ne Clerici, vel Monachi.*) Optimum Clerici exercitium est *sine intermissione,* ut vult Apostolus *(1. Thess. 5.) orare,* in templo assiduum esse, in recitatione Horarum Canonicarum; in administratione Sacramentorum; in prædicando Dei verbo, impigrum, devotum; in exoneranda, et a peccatis abluenda per sacram confessionem, et Absolutionem conscientia, frequentem; acquirendis solidis Deo, et hominibus gratis virtutibus deditum; domi œconomiæ honestæ, et non sordidæ attentum; pro domo Dei, ac pro Ecclesia Sponsa sua, proque ejus juribus, usibus, immunitatibus, libertatibus, ac privilegiis, pro bonis mobilibus, et immobilibus sartis tectis conservandis conclusum esse; bonis litteris, Sacræ Scripturæ, Casibus conscientiæ, controversiis fidei, libellis piis, ceremoniis Ecclesiasticis, et cantui Ecclesiastico diligenter studere, illud

(Oseæ 4.) identidem ruminando: *Quia scientiam repulisti, et ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et illud. *(Dan. 12.) Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: Et qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Paragraphus VIII.

Libri.

Ut autem ratio aliqua et delectus librorum habeatur, proponi Clericis hi possent tanquam magis necessarii, et eorum usibus magis accommodati:[1])

Biblia sacra;

Catechismus Romanus;

Concilium Tridentinum;

Constitutiones Synodal. Eccles. Sedun. Controversiæ Costeri, Martini Becani. Et Prudentioribus: *Card. Bellarm. Summa casuum conscientiæ Toleti. Manuale Navarri;*

Theologia moralis Pauli Layman;

Thomas de Kempis de imitat. Christi;

Meditationes Vincentii Bruni;

Opuscula et Conciones Lud. Granat. Conciones Costeri;

Promptuarium morale et Catholicum Thomæ Stapletoni;

pro Germanis:

Postilla Georgii Schereri, et Joannis Hesselbach;

---

[1]) Tempus præsens jam alios libros exigit. Omnes saltem illos habeant, quos in seminario auctores habebant.

pro Gallis:
Diego de la Vega;
Conciones Bessæi;
Jardin de plaisir par F. P. C. Celestin;
Catechisme historial. etc.

Paragraphus IX.
Residentia.

Resideant in Ecclesiis suis, qui beneficia qualiacunque Ecclesiastica habent exigentia de jure vel consuetudine residentiam, nisi legitima ex causa, et consensu suorum Superiorum absint: quo tempore aliquem Vicarium idoneum, et a nobis approbatum substituent, qui vices obeat. Curati illegitime ab Ecclesia sua absentes, præter alias pœnas Canonicas adversus non residentes statutas, mortalis peccati reatum incurrunt, inquit S. Synod. Trid. *(Sess. 23. cap. 1. refom. etc.);* pro rata temporis absentiæ, fructus suos non faciunt, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos retinere sibi possunt, sed tenentur per Superiorem Ecclesiasticum eos fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare. Plura huc spectantia ibidem videre licet.

Paragraphus X.
Privilegia Clericorum.

Privilegia Clericorum communiora certis de causis huc attexere voluimus, quas quivis prudens coniectura assequi facile potest. Privilegium ergo est Clericorum, coram sæculari judice non conveniri. *(De foro compet. c. si dili-*

genter.) Non teneri Clericum præstare onera personalia vel realia. *(De immunit. Eccl. c. non minus.)* Puniri non posse nisi a suo Ordinario, vel cum ejus interventu. *(Concil. Trid. Sess. 25. c. 20. reform.)* Denique verberans Clericum est excommunicatus. *(C. si quis. 17. 9. 4.)* Sicuti etiam statuta contra ipsum facientes. *(Cap. eos qui; de immunit. Eccles. lib. 6.)* His et aliis id genus privilegiis solus ille Clericus frui potest, qui habitum et tonsuram defert, aut Ecclesiæ inservit. *(Trid. Sess. 23. cap. 6. reform.)*[1])

CAPUT IV.
De exercitiis ecclesiasticis.

Paragraphus

1. Cultus divinus, et Ceremoniæ.
2. Horæ Canonicæ.
3. Prædicatio verbi Dei.
4. Catechismus, seu Institutio Christiana.
5. Scholæ privatæ.
6. Sodalitas, seu Confraternitas.
7. Festa Ecclesiæ.
8. Processiones.
9. Jejunia, et Abstinentiæ.
10. Angelica Salutatio.
11. Benedictiones.
12. Exequiæ, et sepulturæ.
13. Administratio, et susceptio Sacramentorum.

---

[1]) Contra Clericorum privilegia non agant, sine licentia Episcopi.

Paragraphus I.
Cultus Divinus, et Ceremoniæ.

Ritus Ecclesiasticus, quo Deum colimus, inter alios omnium optimus est Romanus, utpote communis, certus, expeditus, et apud Catholicos passim in Ecclesiis usitatus. Eum proinde volumus in Diœcesi nostra ubique servari, in celebratione Missarum, Horarum Canonicarum decantatione vel recitatione, in SS. Sacramentorum administratione, et aliis Ecclesiæ ceremoniis. Nec hic ullam prætendant Canonici, et alii Clerici difficultatem; cum experientia doceat, ubique in Helvetia, nedum aliis locis Catholicis, suavissime eum ritum vel jam introductum, vel adhuc introduci cum magna Cleri, populique satisfactione, propter filiarum cum matrice Ecclesia Romana conformitatem. Ejusmodi vero ritus, et ceremoniæ discuntur facile ex rubricis Missalis, Breviarii, et Ritualis Romani secundum usum Concilii Tridentini. Ingressuri, egressurive chorum prius se lustrali, seu benedicta aspergant aqua, quam in honesto, et commodo templi vase metallico, vel lapideo asservabunt; singulisque hebdomadibus[1]) renovabunt. Salutato insuper magna cum reverentia, et humilitate, venerabili Sacramento, ad locum quisque suum consuetum in subselliis se recipiet, nec in Sacristiis mora fiet; ne forum potius, quam sacrarium a populo existimetur. Nugatores, fabulatores, ambulatores, bibones, morarum in triviis, et cœmiteriis ne-

---

[1]) Vel saltem frequenter.

ctentes, et maleferiati Clerici, et Laici ex hospitiis, viis, *et sepibus compellantur intrare, ut impleatur domus Dei. (Luc. 14.)* Merces, esculenta, et poculenta in Cœmiteriis, vel prope, tempore divinorum officiorum nullo modo tolerentur; invocato, si opus sit nostro concilio, et auxilio; cum *Domus Dei, domus sit orationis, et non spelunca latronum. (Matth. 21. Luc. 19.) Si quis esurit, domi manducet,* inquit Apostolus, *1. Cor. II.*

Paragraphus II.

Horæ Canonicæ.

Horæ Canonicæ attente, distincte, devote; non cursim, distracte et præcipitanter; et suo tempore ab omnibus recitentur, qui vel majoribus initiati sunt Ordinibus, vel beneficio aliquo Ecclesiastico sunt ornati. Matutinum cum laudibus præmittatur celebrandæ missæ, nisi legitima subinde Parochos et Vicarios causa excusaret, qui quavis hora parati ad administranda ægris Sacramenta debent esse. *(Videatur Tolet in summa lib. 2. cap. 1.)*

Paragraphus III.

Prædicatio Verbi Dei.

Prædicatio Verbi Dei quam sit necessaria, norit Vallesia nostra, ut quæ neglecto Dei Verbo paulatim labi cœpit. Recolenda proinde; et ad usum, et frequentiam reducenda; atque ad populum Dominicis, festivisque diebus semper habenda est. Dent operam sacri Verbi præcones, ut vita moresque doctrinæ respondeant, ne

quod verbo ædificant, pravo destruant exemplo. In producendis sacris Scripturis, et dogmatibus hæreticorum refutandis sint cauti, præsertim coram rudioribus, ne dum refutare student, errores subinde præ inscitia doceant. Vitia cum discretione, et in communi reprehendant; neminem vel aperte vel tacite perstringentes. Ab apocryphis, incertis, et minus probatis, a ludicris, salibus, et fabulis anilibus abstineant: historias, et miracula minus explorata et certa non adducant, nec quicquam aliud quod levitatem, quod dubium, incertitudinem vel errorem gignere queat. Bonos ea de re, et probatos auctores legant; necessaria futuræ concioni excerpant, scribant, memoriæ tradant, et prævia diligenti, et devota oratione (qua se, suosque auditores Deo commendabunt) cathedram ascendant, atque cum energia, et spiritu populo proponant, explicent, doceant, moveant. Christifideles monemus omnes, et in Domino obsecramus, ut se verbo Dei audiendo numquam subtrahant, Conciones Dominicis, festisque diebus nunquam negligant, *cum ille ex Deo non sit* (et consequenter, et diametraliter ex diabolo) *qui verba Dei non audit.* Et viceversa *ille ex Deo sit, qui verba Dei audit. (Joan. 8.)*

Paragraphus IV.

Catechismus, seu institutio Christiana.

Catechismus, seu Institutio Christiana omnibus Parochis, et Vicariis commendatissima habeatur; ut pueri, ac puellæ fidei rudimenta,

Christianamque Religionem cum lacte materno imbibant. Diebus Dominicis Adventus, et Quadragesimæ, atque extra hos dies singulis saltem mensibus semel in templo, prævio campanæ pulsu, habeatur ab aliquo Ecclesiastico Parocho, Vicario, vel alio Catechismus. In hunc finem moneantur pro concione vel post, parentes, ut mittant, vel quod melius, et satius est, ipsimet cum illis veniant, discant, recolant, inculcent, tam sibi, quam suis, quod in Catechismo audiverint: negligentes, et protervos venire compellant adhibito nostro auxilio. Methodus autem in Catechismo servanda[1]) isthæc erit: Ecclesiastes post ultimum campanæ signum superpelliceo nitido cum stola indutus prodeat in templi navim, vel gradus choro et navi interjectos, illico S. Crucis signo formando, Dominica oratione, Angelica salutatione, Symboloque Apostolorum, patrio idiomate, recitando, ita præeat juventuti, ut assequi resumendo per partes singula, commode illa possit. Signo crucis, et solitis istis (quotiescunque Catechismus habebitur) Orationibus succedent, præscriptæ ex catechismo lectiones, et concertationes, quas Ecclesiastes audiet, emendabit, et enucleabit ad captum parvorum, et adultorum præsentium. Et sicut nervus belli est pecunia, ita etiam Catechismi sunt munuscula, quibus bene meritos donabit, ad majorem cum ipsorum, tum aliorum excitationem, et studendi promptitudinem. Ad hæc alias præscribet lectiones Christianas, quas

---

[1]) Pro ratione adjunctorum.

memoriæ mandabunt, et proximo conventu recitabunt. Coronidis loco, nudato rursum capite (ut in principio Catechismi) et flexis puerorum, puellarumque poplitibus, decem præcepta Decalogi, quinque præcepta Ecclesiæ, quatuor novissima hominis, et alia id genus ad rem facientia vernaculo sermone, iterato rursum Crucis signo recitabit; subsequentibus, et per partes resumentibus parvulis.

Paragraphus V.

Scholæ privatæ.

Scholarum privatarum usus crebrior esse deberet, quam oculis usurpemus, cum maximus Reipublicæ Christianæ inde pullulet fructus. Statuimus ergo ut Scholæ passim collapsæ rursum erigantur in celebrioribus pagis: ubi nec fuerunt, nec adhuc sunt, instituantur; ubi pueri (nonnullæ etiam puellæ) legere, scribereque Latine, Germanice, vel Gallice discant, saltem in hieme, quando indocta juventus domi tempus aureum inutili garrulitate, nugisque terit. Ludi moderatores sint omnes sani in Catholica fide, non suspecti vel hæretici, probi viri, pietateque insignes, ut eadem pietas in teneram derivari, stillarique juventam verbo, et exemplo possit; atque adeo quod infantes ex matribus, hoc pueri ex præceptoribus sugere, ad majorem Dei gloriam, et Vallesiæ salutem queant.

Paragraphus VI.

Sodalitates seu Confraternitates.

Sodalitates, seu Confraternitates magni a populo fieri intelligimus. Idcirco renovandæ sunt, sicubi exolevissent, atque aliæ et aliæ potissimum Rosarii Beatæ Virginis (ut vocant) introducendæ. Ut autem plures utriusque sexus, Deoque, et B. Virgini gratiores Sodales fiant, populus bene de tota re imbuatur, emolumenta ejus Congregationis clare proponantur, et expendantur, auditores pro re nata in concionibus, privatis exhortationibus et conversationibus ad amplectendam tam sanctam et apprime utilem Rosarii congregationem inflammentur. Hinc fiet, ut omnes parvi, et adulti utriusque sexus homines Rosarium B. Virginis addiscant, illud ter minimum in hebdomade percurrant, palam ex manibus domi forisque (quod hactenus plerosque viros, et mulieres facere sine causa puduit) ferant, atque adeo Dei, Virginisque cultus in dies augeatur, pristinus Ecclesiæ nitor, et Catholicæ Religioni decus restituatur.

Paragraphus VII.

Festa Ecclesiæ.

Festi dies cur, et in quem finem sint ab Ecclesia instituti, norint omnes vel ex ipso Ecclesiæ præcepto, atque quotidiano ubique usu. Quia nihilominus plebs sæpe rudis est, vel cultui Dei minus addicta, monitos volumus Cu-

ratos et Prædicatores omnes et singulos, ut pro suggestu hac sæpe de re tractent, firma et gravia ad persuadendum, incitandum et compellendum populum proponant argumenta, ut non tam speculative quam practice suum feriati dies sortiantur effectum.[1]) Quod si gratis, necnon irrito conatu tentaverint omnia, tum ad pedum Episcopale, vel Vicarium Generalem, vel nostrum Officialem recurrant, ut rebelles et cervicosæ oves debitis pœnis exerceantur.

In promulgandis festis caute procedant, ne Parochi, vel eorum Vicarii alia pro aliis accipiant, populoque proponant. Teneant unum eundemque tam Germani, quam Galli promulgandi modum, qui festa fori a festis chori clare distinguat, vitentque odiosas in Ecclesia Dei, inusitatas, et periculosas (ut hactenus experti sumus) festorum cum festis, et Dominicis diebus comparationes, ut cum aliqui dicunt: Hoc festum, verbi gratia, Sancti Andreæ celebrabitis ad instar diei Dominicæ.

Aliud.

Hoc festum v. g. Conceptionis Beatæ Virginis celebrabitis ad instar Nativitatis Domini, vel Paschæ.

Isti modi promulgandi sunt prorsus absoni. Ita ergo imposterum festa substantialiter promulgentur, ut sit differentia clara inter festa fori, quæ sunt obligatoria; et inter festa chori, quæ devotionis sunt festa, et non obligatoria. Tali die incidit festum S. Andreæ Apostoli,

---

[1]) Sæpe iteretur tam gravis præcepti commendatio.

quod vi præcepti Ecclesiastici ad feriandum sub reatu peccati mortalis obligat. Tali die incidit festum sancti Francisci Confessoris, quod est devotionis festum duntaxat, nec obligans ad feriandum.

Festa obligatoria,[1]) præter Dominicos dies totius anni in nostro Episcopatu sunt ista:

Circumcisio Domini,
Epiphania Domini,
(Festum Sancti Sebastiani),
(Sancti Caroli Magni Imperatoris),
Purificationis Beatæ Virginis,
(Sancti Matthiæ Apostoli),
Annunciationis Beatæ Virginis,
Pascha (cum duobus sequentib. diebus),
(Sanctorum Philippi et Jacobi),
(Inventionis sanctæ Crucis),
Ascensionis Christi,
Pentecost. (cum duob. sequent. diebus),
Corporis Christi,
Nativitatis sancti Joannis Baptistæ,
Sanctorum Petri, et Pauli,
(Visitationis Beatæ Virginis),
(Sancti Jacobi Apostoli),
(Sancti Laurentii martyris),
Assumptionis Beatæ Virginis,
Sancti Theoduli Episcopi et Confessoris, Patroni Patriæ,
(Sancti Bartholomæi Apostoli),
Nativitatis Beatæ Virginis,

---

[1]) Festa inter parenthesim posita jam non obligant.

(Sancti Matthæi Apost. et Evangel.),
Sanctorum Mauricii et Sociorum,
(Sancti Michaëlis Archangeli),
(Sanctorum Simonis et Judæ Apost.),
Festum Omnium Sanctorum,
(Festum Septem gaudiorum B. Virg.),
Sanctæ Catharinæ virginis et martyris, Patronæ Patriæ,
(Sancti Andreæ Apostoli),
Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis,
Nativitatis Domini nostri Jesu Christi,
(Sancti Stephani),
(Sancti Joannis Evangelistæ),
(Sanctorum Innocentium martyrum),
Festa denique Dedicationum, et Patronorum Ecclesiæ, et alia peculiarium locorum, ex pia devotione suscepta.

Ita observabuntur festa prædicta, ut a media nocte præcedente festum aliquod, usque ad alteram noctem inclusive, nullum opus servile, rurale, vel mechanicum exerceatur, ipso festo divinum Officium frequentetur, missa integra cum concione audiatur. Et licet laici ad vesperas, cum habentur, audiendas sub peccato mortali non obligentur, uti nec ad adeundum Catechismum, non idcirco excusamus illos a peccato, quando commode possunt: cum ideo festi dies sint instituti, ut in illis Deus plenius honoretur, colatur, et gratiæ eidem peculiariter agantur. Satius est bonis operibus tunc vacare, quam male tempus perdere, potare, saltare, ludere, vagari, nugari, et alia id genus peccata committere. Nolumus ut id temporis circa ve-

speram acuantur in æstate falces ad demetendum fœnum; exportetur fimus e stabulis; findantur, vel vehantur ligna pro culina; fructus ex arboribus decutiantur, vel sub illis numerose colligantur atque domum ferantur; multoque minus ut Sartores, et Sutores profanent dies Dominicos et Festivos laborando in multas horas; ut matresfamilias retineant iis diebus in domibus netrices, filatrices, et alios hujusmodi opifices. Intolerabilis plane, et indigna clitellariorum, et aliorum plerorumque est consuetudo, qui vina emunt, et avehunt festis diebus, vel ad debita sua colligenda vel exigenda, qua data porta, ruunt; nullam missæ, et concionis habentes rationem; nec ullam operosos inter et festos dies, differentiam ponentes, et quod pejus est factum suum impie excusantes. Intolerabilis quoque mulierum mos increbuit (conniventibus procul dubio Parochis, et templi Procuratoribus) quæ festis diebus hortos et olera sua ita impune colunt, ut altera alteram, velut annulus annulum, ad peccatum pertrahat.

Serio ergo mandamus, ut prædicta festa ab omnibus, et singulis observentur a media nocte præcedentis diei (ut dictum est) usque ad mediam noctem subsequentis: nihil toto illo tempore servile fiat: Missa integra cum concione, et aliis Divinis Officiis audiatur: Deus majore cum pietate, et devotione colatur; orationi magis, et bonis operibus vacetur; uno verbo totum illud spatium temporis pie, sancte, et religiose in Domino transigatur.

Quod si evidens aliqua necessitas ingruat circa messem, vel vindemias; tunc festa cum

nostra, vel Parochorum locorum facultate transferri poterunt; vel post absolutum mane Officium divinum, reliquum diei labori impendi. Caute hic agatur propter ineptas populi subinde, et crudas consequentias.

Paragraphus VIII.
Processiones.

Processiones seu supplicationes tam communes Ecclesiæ, quam Diœcesis nostræ particulares, et propriæ locorum, observentur diligenter cum omni decentia, modestia, et devotione, sine risu, levitate, confabulatione, evagatione, quibus ad iram Deus potius provocatur, quam placatur. Diebus Dominicis et festis assuescat populus tempestive processionibus interesse, et non glomeratim incedere. In extraordinariis processionibus, quæ aliquando ex necessitate instituuntur, caveant sibi parochi quidquam a seculari magistratu præscribi, amice potius et pacifice pro temporis, loci, ac personarum qualitate utrinque conveniatur. Cum supplicatio ad remotum aliquem locum fit,[1]) mulieres non admittantur propter varia, quæ nonnunquam oriuntur, pericula et scandala. Viri maturi ætate eant, in termino sint memores sobrietatis, et temperantiæ; ne Deus merito offendatur. An, quales, et quantos sumptus pro ferenda cruce, et vexillo quisque Parochus facere teneatur, cum remotius supplicatum itur, in hac Synodo deliberabitur; cum res non tantum a parochis, sed etiam a populo pendeat.

[1]) Cui pio usui caveat Parochus ne obicem ponat.

Paragraphus IX.
Jejunia, et Abstinentiæ.

Circa jejunia, et abstinentias attendant ubique Parochi, ut rite serventur omnia, ne scandala in populo generentur. Sunt autem isthæc obligatoria jejunia: Quadragesima tota (Dominicis exceptis, quibus abstinetur tantum, et non jejunatur) incipiens a die Cinerum inclusive, usque ad Sabbathum Sanctum inclusive. Cui maxime derogant, qui dicunt Quadragesimam primum incipere a Dominica prima Quadragesimæ, atque adeo licitum esse carnibus, et ovis illuc usque vesci. Tales notentur, et in utroque foro graviter puniantur.[1]) Quatuor anni Tempora, Vigilia Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, sancti Laurentii, Omnium Sanctorum, omnium Apostolorum, præterquam SS. Philippi et Jacobi, et sancti Joannis Evangelistæ. Quæ tempora jejuniorum diligenter promulgabunt Parochi, ut nullum sit excusationis velamen. Enucleent etiam differentiam inter jejunium et abstinentiam; quæ maxima est, ne qui jejunare tenentur, existiment per abstinentiam fieri præcepto Ecclesiastico satis. Ostendant jejunium in eo consistere, ut corpus semel tantum in die jejunii, hora undecima ante meridiem audita, reficiatur, sine ullis omnino

---

[1]) Præter dicta de Quadragesima, præscripta jejunia habentur: diebus quatuor temporum, veneris et sabbathi toto tempore Adventus, Vigiliæ Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. V. M., Nativitatis St. J. Bapt. Omnium Sanctorum, SS. Petri et Pauli.

carnibus (et in Quadragesima etiam sine ovis) vesperi vero pro collatione, ut vocant, pauxillum panis, et fructuum breviter sumatur.[1] Bibere die jejunii extra refectionem, et collationem illam sæpius licet, imo aliquando, si haustus obsit, buccellam panis assumere. Quod simplici populo inculcare sæpius oportet, ut qui aliquoties jejunaret, sed absterretur ab eo, propter vini vel alterius potus abstinentiam, quasi de die extra refectionem, et collatiunculam bibere nefas sit, aliosque stricte et Ecclesiastice jejunantes judicant, cum eos extra tempus pauxillum bibere vident. Abstinentia Ecclesiastica multum a jejunio jam explicato differt. Consistit vero in eo, ut quis a certis cibis, debito tempore, abstineat; uti fieri solet, et debet singulis diebus Dominicis Quadragesimæ, in quibus abstinetur ab ovis, et carnibus tantum, in Diœcesi nostra. Qui ad jejunium obligentur, qui non, videatur apud Casistas, et hoc ipsum populo aliquando intimetur ad sublevandas conscientias. Tollatur nonnullorum consuetudo, qui tribus ultimis Quadragesimæ diebus, sine omni omnino cibo ita transigunt, ut postmodum in varios mentis et corporis languores incidant: subest enim aliqua diaboli fraus. Circa dispensationem ovorum, vel carnium in Quadragesima, videant quid agant Parochi. Infirmis judicio medici, et Parochi aliquid concedatur. In carnivoros heluones et ovimandones serio animadvertatur, et ad Nos referantur, vel Vicarium Generalem, vel nostrum Officialem.

---

[1]) Serventur probatæ consuetudines.

Paragraphus X.

Angelica Salutatio.

Angelica Salutatio sicubi exoleverit, in integrum restituatur. Convenit ut in tota Diœcesi nostra conformis sit ad eam pulsus; non ut hactenus difformis: cum conformitas in uno, eodemque Episcopatu magis ædificet, uniatque animos. Ter quotidie pulsandum est ad Salutationem istam, in aurora, meridie, et crepusculo vespertino. Pulsus nec nimis longus, nec nimis brevis sit, sed commensuratus communi Ecclesiæ Salutationi, quæ incipit: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ etc.* Toto reliquo anno, ad hunc pulsum omnes genu flectant. Tempore vero Paschali, id est, a Paschate usque ad Dominicam SS. Trinitatis,[1]) statur ad illum; qui modus, et ejus ratio pro concione sunt denuntiandi.

Paragraphus XI.

Benedictiones.

Benedictiones salis, aquæ, cereorum, cinerum, herbarum, vini, panis, fructuum, etc. uti maximi a majoribus nostris factæ sunt, ita et hoc ævo nostro fiant. Proinde virtutem et effectum rerum benedictarum explicent Concionatores, et catechistæ; moneantque populum, ut in pravum et ab Ecclesiæ instituto alienum usum non convertantur; sed religiose gestentur, atque in pium Ecclesiæ finem, et intentionem usurpentur.

---

[1]) Et tota die Dominica.

Paragraphus XII.

Exequiæ, et Sepulturæ.

Exequiæ et sepulturæ religiosius, quam antehac peragantur. Corpora mortuorum non nimis cito efferantur, expectetur paulisper dum bene rigescant. Sufficientes sint semper in efferendo; nunquam desint qui crucem præviam, et aquam lustralem portent. Nemo laicus, excepto pestis tempore, vel minimum baptizati corpusculum sine præsentia Parochi vel Vicarii sepeliat, ni hæreticus (ita enim sepeliunt) audire velit. Sepulchra sint profunda; capita et alia ossa carnibus et pilis adhuc vestita nunquam extrahantur, sed vel alibi defodiantur, vel dextre et decenter in angulo recondantur; superjecta, ne videantur, terra. Alia vero ossa carnibus exuta extrahantur, laventur, et in ossuario decenter reponantur. Non baptizati loco proprio non benedicto sepeliantur a laicis, sine pulsu, sine sacerdote, et ceremonia ulla. Mortuaria, ut vocant, si quæ sunt, vel de jure, vel consuetudine, ad pristinum usum revocentur, cum in honestiorem Clericorum sustentationem cedant: nec Parochi permittant, ut oblatus semel panis iterato offeratur, quod est plane indecens, et bona multa dignum. Vigiliæ, et missa pro defunctis recitentur, dum fossa fit; nec permittatur facile corpus aliquod pomeridiano tempore humari. Quævis parochia sepeliat suos, non alienos parochianos quantumvis pauperes; cum alia nulla ordinarie subsit ratio, cur compendia quærantur, quam tenacitas, avaritia, et extinctus

erga vivos et mortuos fideles zelus. Cœmiteria bene claudantur, ne ulli pecudi pateat accessus: nihil ibi seratur, plantetur; nec panni, nec telæ, vel aliquid aliud exsiccetur; oves non tondeantur; non ibi pensa a mulieribus ducantur, nec consilia politica a populo habeantur; nec ullum denique opus a locis talibus alienum a quoquam peragatur.

Paragraphus XIII.

Administratio, et susceptio Sacramentorum.

De administratione, et susceptione Sacramentorum, quod est potissimum in Ecclesia exercitium, dicendum hic esset. Verum cum peculiarem locum, et caput requirat, id proxime subnectetur.

CAPUT V.

De sacramentis ecclesiæ.

Paragraphus

1. Sacramenta, et eorum administratio in genere.
2. Baptismus.
3. Confirmatio.
4. Eucharistia.
5. Missæ sacrificium.
6. Pœnitentia.
7. Confessarii.
8. Casus reservati.
9. Extrema Unctio.
10. Ordo.
11. Matrimonium.

Paragraphus I.

Sacramenta et eorum administratio in genere.

Sacramenta universe sunt septem a Christo instituta; quæ sunt instrumenta, et vasa gratiæ sanctificantis; quæ quo excellentiora sunt Sacramentis antiquæ legis, eo majore reverentia et sanctimonia sunt administranda et recipienda. Tria ad administrationem Sacramentorum sunt necessaria necessitate Sacramenti, ut dicunt Theologi: Materia, Forma, et intentio Ministri administrantis et conferentis; quorum si vel unum desit, nullum Sacramentum fit. Materia in genere debet coëxistere formæ, coëxistentia morali, et realiter suscipientem attingere ad producendum suum effectum. Forma debet materiæ ab uno eodemque ministro simul simultate morali copulari, et tota ab eodem proferri. Intentio debet esse vera, absoluta, virtualis (non enim requiritur semper actualis) et generalis; et sufficit. Vera procedit ex veritate objecti: Absoluta nullam habet oppositam conditionem, maxime de futuro: Virtualis [1]) emanat ex aliqua actuali prius habita, nec unquam revocata: Generalis est voluntas faciendi, quod Christus instituit, vel quod Ecclesia, vel Christiani faciunt; sicuti particularis intentio (quæ non est necessaria) est voluntas faciendi, quod facit Romana v. g. Ecclesia. Ex dictis colligitur invalidum aliquando, aliquando illicitum esse

[1]) Habitualis esset potius dicenda, quæ non sufficit.

Sacramentum. Invalidum quidem ex parte materiæ, si materia sit substantialiter corrupta, ut si acetum pro vino etc., accipiatur: illicitum vero, si accidentaliter tantum sit corrupta, ut si vinum subacidum, vel lymphatum pro puro et integerrimo. Invalidum erit ex parte formæ; si quid contra essentiam ejus immutetur, seu transferatur, addatur vel dematur: Illicitum vero, si quid accidentale tantum, et non contra essentiam formæ transponatur, addatur, vel dematur. Exempla facile occurrent in forma Baptismi, Eucharistiæ. Invalidum erit denique Sacramentum ex parte intentionis Ministri, si ea non sit recta; ut si non intendat facere, quod facit Ecclesia, sed illudere tantum, et jocari: illicitum vero, si intendat aliquid pravum consequens ipsum Sacramentum v. g. corpus Christi ad veneficia applicare. Quando dicimus Invalidum Sacramentum, idem est, atque nullum; quando vero Illicitum, intelligimus Sacramentum validum quidem esse, sed peccare Ministrum in ejus administratione, mortaliter vel venialiter, pro ratione materiæ. Præter intentionem in Ministro, requiritur etiam legitima potestas, sive jurisdictio, sine qua omnia Sacramenta illicite administrantur; præter[1]) Pœnitentiæ Sacramentum, quod etiam invalide juxta *Trident. (Sess. 14. cap. 7.)* Sit in Ministro fides recta, probitas, devotio, etc. ut digne, sancte, et licite suo fungatur officio. Non sit excommunicatus, suspensus, interdictus, nullo mortali peccato, vel

---

[1]) Loco „præter", ponatur „imo".

affectu peccandi irretitus: si confessarii copia suppetat, confiteatur; si confessarius desit, pœniteat de peccato, eliciatque actum contritionis, vel attritionis; quo se probabiliter contritum existimet. Nec sibi blandiatur prætensa juris vel facti ignorantia: ignorantia enim juris non excusat Ministrum; ignorantia vero facti vel naturalis inadvertentia, peccatum excusare potest. Quod de jure, vel legitima consuetudine debetur pro Sacramentorum administratione, illud tuta conscientia ministri Ecclesiæ possunt accipere: neque hic ulla simonia vel avaritia locum habet, cum Sacramenta non vendantur (quod alias nefas simoniacumque esset) nec labor intrinsecus, qui æque spiritualis est atque ipsum Sacramentum; et sine quo administratio, vel confectio Sacramenti consistere non potest; cujusmodi est actus ipse v. g. ablutionis in Baptismo, absolutionis in Pœnitentia, unctionis in Extrema Unctione, etc. Cum, inquam, labor hujusmodi intrinsecus non vendatur, sed tantum extrinsecus, qui est pretio æstimabilis ex natura sua.

Parochi, Vicarii, Concionatores, et Catechistæ studiose exponant omnia ea, quæ requiruntur ad dignam, et fructuosam cujusvis Sacramenti receptionem. Ejusmodi autem sunt usus rationis (præterquam pro Baptismo, Confirmatione, et Extrema Unctione in phreneticis, qui antea usi sunt ratione), competens ætas, fides recta, vera, sincera, et nullo modo ficta intentio; status denique gratiæ ad suscipienda Sacramenta vivorum (ut vocant) quæ sunt Confirmatio, Eu-

charistia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium: vel sufficiens dispositio ad recipiendam primam gratiam, quæ confertur per Sacramenta mortuorum, quæ sunt Baptismus, et Pœnitentia. Nam ad hæc duo Sacramenta licite accedunt homines cum conscientia peccati mortalis; illicite vero cum affectu peccandi, vel perseverandi in peccatis, qui est obex gratiæ. Ad alia vero Sacramenta quinque, nunquam licet cum conscientia peccati mortalis accedere, quia talia Sacramenta non sunt instituta ad remittenda peccata mortalia, sed ad augmentum gratiæ sanctificantis seu justificantis, quæ solis justis impertitur. Ergo per Confessionem peccata sunt delenda, si copia sit confessarii; sin minus, habeat suscipiens veram contritionem, vel attritionem, quæ bona fide putetur esse contritio.

Inculcetur insuper populo necessitas quorumdam Sacramentorum, ut est Baptismi, qui omnibus necessarius est necessitate medii, seu salutis: Pœnitentiæ, quæ est eadem necessitate necessaria relapsis in peccatum mortale hominibus. Eucharistia, Confirmatio, et Extrema Unctio sunt necessaria necessitate præcepti, ita ut eorum receptio sit suo loco et tempore necessaria.

Ultimo mandamus, ut imposterum omnes Curati, et Vicarii Romano Rituali utantur in administratione Sacramentorum.

Paragraphus II.

B a p t i s m u s.

Baptismus quia necessarius est homini ad assequendum finem suum supernaturalem, et quidem necessitate medii, ideo monemus Parochos et Vicarios, ut parati sint quocunque tempore ad baptizandos infantes allatos. Si enim propter absentiam, vel alia de causa eis imputata, infans præsentatus absque Baptismo moriatur, puniemus; atque pro qualitate culpæ eos vel ab officio suspendemus, vel beneficio privabimus. Cum baptizandus ad valvas Ecclesiæ præsentabitur, diligenter inquirant, num domi privatim, propter mortis periculum, baptismo initiatus jam fuerit, necne? a quo? quomodo? Si intelligat legitime baptizatum esse, ne amplius baptizet; sed reliquas Baptismi ceremonias, propter casum necessitatis omissas suppleat. Si vero cognoverit non fuisse lustratum aqua, tum baptizet servatis diligenter ceremoniis in Rituali Romano contentis. Si denique in collato privatim infanti baptismo errorem aliquem sive in materia, sive forma, sive intentione Ministri deprehenderit, vel saltem dubitaverit de valore baptismi collati; idque non leviter, et speculative tantum, sed practice, adhibita omni diligentia, tum infantem, sub conditione, baptizet dicendo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris etc. Privatim intra domesticos parietes baptizandi morem penitus tollimus; nisi subsit evidentissima et urgentissima necessitas, quam pigri et male feriati

ob difficultatem itinerum sibi imaginantur, et aliis astantibus persuadent, atque ita domi, vel in propinqua aliqua Parochia aliena baptizari curant, non sine scandalo et gravi simul periculo, vel damno olim fortassis emersuro. A die Jovis sacro (quantumvis propter distantiam locorum novæ, recentesque unctiones nondum haberi possint) infantes more solito ungantur usque dum novæ habeantur, nec ullo modo eorum baptismus differatur. Patrinum et Matrinam præterea monemus, ut cum ex pago infans ad remotiorem parochiam baptizandus defertur, secum aquam benedictam mundo vasculo portent, ut in via, si quod probabile mortis periculum immineret, infans, indito prius nomine baptizetur. Non immerito statuit *Trident. Synod. (Sess. 24. c. 2. de reform. Matrim.)* ut pro evitandis difficultatibus et periculis impedimentorum Cognationis spiritualis, et Matrimoniorum, unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum in Baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Hunc morem de uno vel duobus summum patrinis *a Concil. Trident.* præscriptis amplectimur, Parochisque omnibus præscribimus, et injungimus, sub pœna arbitraria posthac servandum. Susceptores volumus esse probos atque Catholicos (non Religiosos) quos breviter post baptismum de officio rite fungendo instruet Parochus, eosque in librum seu catalogum baptizatorum una cum bapti-

zato, baptizatique Patre et Matre referet, annotato die, mense, et anno.

Paragraphus III.

Confirmatio.

Confirmationis Sacramentum, ejusque vis, atque effectus populo sæpius inculcentur, et ubi tempus confirmandi ingruerit, parentes edoceantur, ut qui ad annos discretionis pervenerunt, ipsos Episcopo suo sistant confirmandos per patrinum unum, non plures, quem Parochus loci ab Ordinario suo repetet, ut eum cum Confirmato, ejusque parentibus inscribere possit.

Paragraphus IV.

Eucharistia.

Eucharistiæ Sacramentum cum sit omnium Sacramentorum augustissimum, in spiritualem animæ refectionem, et memoriam passionis Christi institutum, convenit ut magna cum puritate, reverentia, et devotione tractetur, et sumatur. Enitentur ergo Parochi et Concionatores, ut populus bene imbuatur, ne ad mensam Domini cum Juda quisquam accedat, reusque fiat corporis et sanguinis Domini. Et si circa festum Paschæ ab unoquoque adulto vi præcepti Ecclesiastici *(cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitent. et remiss.)* sumendum sit: hortamur nihilominus omnes, ut crebrius id in anno fiat, majoribus scilicet et festivioribus solemnitatibus. Nemo in aliena parochia paschaliter communicet, sine expressa ab Ordinario

vel suo Parocho licentia. Prius se probet homo, per confessionem scilicet Sacramentalem, *et sic de pane illo edat. (1. Cor. II.)* Proinde præsumat nemo ad tremendum hoc Sacramentum absque prævia vera et non fucata et hypocritica confessione, contritione, et emendationis proposito accedere, nisi, ut ait Apostolus prædicto capite, *judicium sibi manducare, et bibere velit, non dijudicans corpus Domini.* Doceatur populus id, quod pro ablutione datur, non esse Christi sanguinem, ut imperiti putant, sed merum vinum, in eum finem datum, ut sacra hostia facilius in stomachum demittatur. Satius esset hoc nomine alterius formæ poculo uti pro ablutione communicantium, quam calice, ut inveteratus error penitus eximatur. Prima vice communicaturis adolescentibus accessus non pateat ullus, ad venerabile Sacramentum, si orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, et usum hujus Sacramenti probe non calleant: detur etiam opera, ut præcepta Decalogi, et Ecclesiæ, necnon alia Sacramenta habeant perspecta. Præstat semper plures pro magna communione consecrare hostias, quam pauciores, ne aliqui propter penuriam hostiarum abire non communicati cogantur. Cauti sint et circumspecti Curati in communicando populo, ne ulla committatur Sacramenti irreverentia: extrema digitorum sæpius inspiciant; si quæ particulæ adhæreant, eas quantocyus ciborio vel patenæ reponant, priusquam elabantur. Cum ad ægros sacrum deferendum est ferculum (nemini enim unquam laico id muneris committatur, ut sacram

ad ægros ferat hostiam), sacerdos superpelliceo stolaque indutus cum lumine et campanula ad dandum fidelibus signum prævia, procedat cum ciborio reverenter et decenter, non conjiciendo in quemvis angulum et personam oculos, sed modeste continendo, cum reliqua totius corporis gravi compositione, ut populus ansam genuflectendi, et Deum suum adorandi, majorem accipiat. Si æger longe a parochia absit, gravissimeque laborare intelligatur, tum eadem opera Sacrum Oleum secum deferre potest, et post communionem ungere. Priusquam aggrediantur communicare ægrotum, videant diligenter, num sacram hostiam commode et citra periculum, irreverentiamque sumere possit. Si enim periculi certi aliquid subsit, ostendatur potius, quam sumenda præbeatur S. hostia, ut eam æger adoret, non item ut osculetur propter præsens periculum; ibi enim bona voluntas pro facto reputatur. Quod si dubitat, prius modico pane exploret, num deglutire valeat; si enim panem naturalem sumere possit, supernaturalem, et Angelicum consequenter poterit. Casu quo ægrotantis linguæ, vel faucibus sacra hostia adhæreret, nec vino affuso avelli adhuc posset, eam duriore panis crustula vel vino abradat: crustulam, si æger sumere non possit, vino studiose abluat, vinum cum miculis illis, quæ sacram attigere hostiam, sumendum ægro porrigat. Hostia non consecrata nunquam detur ægrotantibus quacunque de causa. Cum ab ægris cum Sacro ciborio reditur, si in civitate sit, vel pago majore, ubi parochia existit, det Parochus

operam, ut Sacram adhuc habeat in eodem ciborio hostiam et cum eadem solemnitate, qua exivit, revertatur. Si vero ad remotum aliquem pagum tulerit, non est opus referre aliam sacram in reditu hostiam, propter ineptas sæpe, et difficiles vias, ut experientia ipsa docet. Et tunc exutus superpelliceo et stola, ciboriolum in silentio ante pectus referat sine lumine et campanulæ pulsu. Pestis vel alterius luis contagiosæ tempore, nihil de officio suo et sedulitate remittant Parochi, prudenter tamen et caute confessiones audiant, atque sacrum viaticum porrigant, ardentibus cereis ante os et nares, ut infectus aër purgetur, et aliis id genus remediis et antidotis præmuniti.

Paragraphus V.

Missæ Sacrificium.

De augustissimo Missæ Sacrificio a Christo in ultima cœna instituto, videantur passim auctores, præcipue Controversistæ. Missa legatur ex Romano Missali. Missas siccas de Spiritu Sancto, et alias ejusmodi passim in nostra Diœcesi celebrari solitas interdicimus penitus sub pœna indignationis nostræ, et suspensione ab Officio et Beneficio. Quod si pecuniæ nonnunquam pro hujusmodi Missis celebrandis offerantur, instruantur offerentes, et aliæ veræ, et non siccæ Missæ pro illis dicantur, vel minimum collectæ ad ipsorum offerentium intentionem adjungantur. Locus celebrandi debet esse consecratus, vel benedictus, vel ab Episcopo desi-

gnatus, ita ut in alios usus amplius non convertatur. *(Trident. Sess. 22. in decreto de Missa. et cap. quanta, de observand. in celebr. Missæ.)* Conceditur vero in necessitate (absente Episcopo) celebrare sub dio prope templum, tempore belli, et pestis, in processionibus, et magnis solemnitatibus. *(C. 1. et 2. Concedimus de consecrat. d. 1.)* In loco polluto, et violato nemo celebret; nemo sine ministro altaris ad respondendum apto; nemo censura aliqua irretitus, nec in peccato mortali, sed confessus (si sit copia Confessarii) vel contritus, si desit Confessarius; nemo in paramentis notabiliter immundis vel attritis. Diebus Dominicis et festis solemnis Missa pro Defunctis non habeatur, sed in alium diem transferatur, vel collecta pro anima defuncti addatur in Missa de Dominica,[1] vel festo: vel si plures sint sacerdotes, privata pro defuncto Missa dicatur.

Paragraphus VI.

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum (tanquam secunda post naufragium tabula, summopere necessarium, ut supra Paragrapho I. dictum est), cupimus sæpe tam ab Ecclesiasticis, quam laicis iterari, cum nunquam desit confitendi materia, his potissimum temporibus, et corruptis moribus. Laici præcipuis festivitatibus, Clerici vero multo

[1]) Collecta jam nequit addi orationi die Dominica, nisi præcepta sit.

crebrius confiteantur, ruminando illud. *(Isa. 52.) Mundamini qui fertis vasa Domini.* Ægrotantes periculose medicinam animarum prius quam corporum petant. *(C. cum infirmitas, de pœnit. remiss.)* Prægnantes, et alii in probabili vitæ discrimine constituti, tempestive confiteantur, nec ullo modo in dies differant. Supplicio extremo afficiendis personis non denegetur confessio, nec sacra communio (quantumvis venefici, veneficæ etc. fuerint) pridie diei supplicii, et non ipso die, propter Sacramenti reverentiam. Sacrilegus, et intolerabilis multorum abusus tollatur, qui sua peccata tantum in genere, et non in specie, multo minus in individuo recensent. Jubeantur ergo in specie, et sigillatim omnia mortalia dicere, observata quantitate, et qualitate, et aliis circumstantiis peccatorum debitis. Assuescant pœnitentes post dictam confessionem generalem, ut vocant, sua peccata quantumvis enormia dicere, nec expectare donec cum molestia tam Confessarii, quam pœnitentis interrogentur, cum ingenui, humilis, et contriti pœnitentis sit prævenire potius, quam præveniri; ut quem non puduit cum Davide peccare, non pudeat cum eo confiteri.

Paragraphus VII.

Confessarii.

Confessarii officium quantum et quam periculosum (ni attendatur) sit onus, ex Casistis percipere licet. Quod tamen juniores Clerici non perpendunt, sed ita temere et incaute

se confessionibus audiendis ingerunt, ut quod doctissimi et expertissimi quique Theologi non auderent, ipsi ultro et audacter, et citra ullum scrupulum faciant, atque adeo ab omnibus peccatis et censuris absolvant, pœnitentes quæ ipsimet nesciunt non tantum doceant, sed docere ipsos Theologos et corrigere ausu nefario conentur. Reprimenda itaque est talium insolentia, et ad Joannem Polancum, Navarrum, Toletum, et alios prius remittendi tales, quam ad munus Confessariorum admittendi, ut prius ipsi discant quod alios doceant. Nemo Confessariorum mittat falcem in alienam messem defectu jurisdictionis, cum nulla sit absolutio, quæ datur a Sacerdote carente ordinaria, aut delegata in eum pœnitentem, quem a peccatis absolvere conatur, jurisdictione. Approbari ergo prius debent Parochi et Vicarii a Nobis per peculiare examen, quam se confessionibus audiendis ingerant *(ut vult Trident. Sess. 14. de Sacramento pœnitent. c. 7. et Sess. 23. de reform. co. 15.)*, ne, dum intricatos extricare volunt, se et alios perdant. Dent operam ut sufficientem (si nondum habeant) doctrinam ad excipiendas confessiones acquirant, audiendis adhuc in schola conscientiæ casibus, vel pervolvendis et bene ruminandis probatis et bonis Casistis, ac denique frequentandis bene doctis et expertis Confessariis, a quibus obortæ difficultates enodentur. Confessionalia sint in locis publicis collocata, non in sacristia, vel aliis obscuris, et inviis templorum angulis. Sint in confessionalibus assidui; mulieres breviter expediant; peccata peccatis diligenter

conferant, ut congruam postmodum injungere pœnitentiam possint. Quæ pœnitentia sit discreta, non nimia, nec in multas hebdomades protracta. Sigillum confessionis ita stricte servent, ut nec verbo, nec signo aliquo directe vel indirecte unquam vel minimum in confessione auditum vel perceptum pandant vel revelent, sub pœnis a jure statutis.

Paragraphus VIII.

Casus reservati.

Casus nonnulli ideo Sedi Apostolicæ, vel nostræ sunt reservati, ut non tam libere et graviter a multis peccetur, nec tam libere absolutionis beneficium a quovis confessario conferatur. Id in bonum et ædificationem mystici corporis Christi, et non in destructionem cedit; cum Christus ipse præmonuerit Christianos et illis indirecte ante denunciaverit dicendo: ***(Joan. 20.) Quorum (peccata scilicet) retinueritis retenta sunt.*** Ideo autem dicuntur aliqui reservati Papæ, quod solus Papa, vel alius, accepta ab eo potestate, absolvere ab illis possit; Episcopales vero, quod solus loci Episcopus, vel ejus Superior, vel alius ab eo delegatus. Qui secus faxit, tantum abest ut absolvat, ut se potius cum jam ligato liget, sacrilege forum alienum usurpando. Quocirca casistas [1]) adeant Parochi, et Vicarii; ex illis discant, quid cuique sit reservatum, ne, quod non possunt, absolvant, ita ***cæcus cæcum***

---

[1]) Vide etiam Part. IV. Instr. Pract.

ducat, atque ambo in foveam cadant. (Matth. 15.) Bullam [1]) Cœnæ Domini, ut vocant, omnes habeant, familiarem sibi faciant, quæ ad rem et usum proprium faciunt, excerpant, populo inculcent; et vero directionem in Bulla positam bene inspiciant et sequantur. Alias Censuras videant apud *Joan. Polancum, Navarrum, Toletum, Sayrum, Suarez, Layman, Bonacinam alios.*

Casus Sedi nostræ reservati sunt 20. [2])

1. Omnes fidei et Religioni orthodoxæ, Catholicæ, Apostolicæ, et Romanæ adversantes.
2. Conjugati ob dissidium non cohabitantes.
3. Mulier partum suffocans seu abortum procurans.
4. Vir vel mulier procurans sterilitatem.
5. Homicidium voluntarium.
6. Sacrilegium vel furtum rei Sacræ.
7. Manuum violenta in Clericos, et Religiosos, atque parentes naturales injectio.
8. Bestialitas sive coitus cum brutis animantibus.
9. Incœstus cum consanguineis et affinibus.
10. Commixtio carnalis cum filia spirituali (et vicissim) ex Baptismo vel Confirmatione suscepta.
11. Copula carnalis cum Sanctimonialibus.

---

[1]) Majoris momenti esse videtur Pii IX. Constitutio „Apostolicæ Sedis“, quam in fine vol. vide, cum adjectis notis.

[2]) Hæc jam obsoleta. Vide Instr. pract. P. IV. art. 3.

12. Perjurium in judicio factum.
13. Magia et veneficium.
14. Baptizans prolem propriam extra tempus necessitatis extremæ.
15. Suscipiens propriam prolem in Baptismo et confirmatione.
16. Contrahens et non observans inita sponsalia seu matrimonium de futuro.
17. Absolvens a peccatis et censuris reservatis.
18. Absolvens vel communicans parochianum non suum, sine proprii parochi expressa facultate, excepto mortis articulo.
19. Baptizans solemniter vel conjungens matrimonialiter parochianos non suos sine licentia propriorum parochorum.
20. Notarii et alii id genus, Dominicis festisque diebus mane tempore divinorum officiorum in cœmiteriis vel extra, causas civiles etc. rusticorum et aliorum legentes, scribentes etc.

Quorum casuum absolutionem Nobis et pœnitentiariæ nostræ Sedunensi ita reservamus, ut nemini potestatem nisi expresse certis de causis a Nobis obtineatur, faciamus. Excipimus articulum mortis, in quo quivis simplex Sacerdos [quando proprius haberi non [1]) potest]. Sæcularis vel regularis ab omnibus censuris et peccatis etiam sedi Apostolicæ reservatis in foro conscientiæ potest absolvere, servatis servandis, quæ in Bulla cœnæ Domini circa finem servari jubentur.

---

[1]) Deleantur quæ in Parenthesi includuntur.

Paragraphus IX.

Extrema Unctio.

Extremæ Unctionis Sacramentum a Christo institutum et per S. Jacobum in canonica sua *(Epist. c. 5.)* commendatum ad antiquum vigorem suum revocandum est cum pro concione tum crebra ejus in urbe, pagisque exercitatione. Refutandus est error nonnullorum qui dicunt unctionem extremam suæ derogare vitæ, manus pedesque et faciem lavare amplius non posse, nec nudis pedibus incedere, et sexcenta alia impie et satanice inventa. Hoc sacramentum solis infirmis adultis[1]) de vita periclitantibus conferendum est, non pueris doli incapacibus, perpetuo amentibus, nec supplicio extremo plectendis, nec impœnitentibus. Eidem infirmo, si convaluerit et rursum in simile vitæ periculum inciderit, dari extrema unctio toties quoties potest. Unctio[2]) renum, vel umbilici semper est in feminis omittenda propter decentiam et honestatem, ut Suarez, Bellarminus, alii. Oculi ungantur clausi, manus laicorum in vola, Sacerdotum vero parte altera, os clausum, aurium concavitas, pedes denique non plantæ, decenter ungantur pollice, ac stupa quantocyus pars uncta tergatur: Stupæ singulæ in vasculo collectæ, post pollicis abstersionem et omnem Sacramenti hujus perfectionem, igni tradantur. Quod si in-

---

[1]) Non requiritur ut sint adulti aut ad communionem jam admissi.

[2]) Tam in viris quam in feminis semper est omittenda.

firmus membro aliquo, alias ungibili, mutilatus esset, tunc proxima pars ungatur. Modus[1]) autem deferendi ad ægrotos sacrum oleum sit omnibus uniformis: Minister sine campanula cum lumine, et S. Cruce in hunc finem propria, et aqua benedicta, si locus sit vicinus (si enim remotus, ut in pagis accidit, in domo ægri confici aqua lustralis poterit) præcedat; Sacerdos aperto capite superpelliceo stolaque indutus subsequetur ferens ante se sacri olei vasculum cum Rituali Romano.

Paragraphus X.

Ordo.

Sacramentum Ordinis multas in ordinandis merito requirit dispositiones, nostris potissimum temporibus, ubi adversarii Ecclesiæ Romanæ diu noctuque rimantur, quo pacto prævalere adversus petram Ecclesiæ, Petrique Naviculam submergere valeant. Multi nihilominus Sacerdotes ita secure dormiunt, quasi omnia tuta essent, nec sua interesset vigilare, attendere, et se pro virili opponere. Verum quomodo se tales opponant, qui triviales vixdum bene triverunt Scholas? Atque ita fit, ut hæreses, proh dolor! propter ignorantiam Sacerdotum tam longe lateque serpant, ut extingui postmodum a doctis difficulter et non sine vitæ periculo queant. Quocirca enitendum est ut boni ac docti Sacerdotes habeantur, indoctique a Sacris

---

[3]) Serventur consuetudines ab Ordinario non reprobatæ.

ordinibus repellantur. Docti ergo et probi juvenes, quos Spiritus Sanctus ad Sacerdotium vocavit, statutis ab Ecclesia temporibus mature se Nobis sistent cum suis Aetatis, Natalium, Libertatis, et Scholarum testimoniis, ut consuetum examen subeant. Ætatis quidem testimonium a parocho et Magistratu suo sæculari accipiant: Natalium et Libertatis a Magistratu loci, vel si legitimatus sit a sede Apostolica; Scholarum vero ab earum præceptoribus et præfectis. Litteras dimissorias (si ex alieno sit Episcopatu) ab Episcopo loci; Religiosi vero a suis superioribus adferent. Ordinum jam susceptorum Formata singuli singula repræsentent. Et cum nemo ad Majores promoveri Ordines possit sine sufficienti mensæ titulo, quem habeat aliquis per beneficium aliquod Ecclesiasticum sufficiens et pacifice, et canonice possessum; vel ex patrimonio in defectum beneficii; volumus ut alterutrius attestantes litteræ ab ordinandis ostendantur, potissimum de patrimonio illo sufficienti, idque a Magistratu sæculari vel ab administratoribus bonorum ejus patrimonii, apposito litteris Magistratus illius sigillo, sine ulla fictione, fraude, et deceptione corroboratum habeatur. Examinatores singula diligenter perlegent, excutient et studiose cavebunt, ne qua calliditas vel versutia et dolus irrepat, atque adeo vani et inutiles operarii in vineam Domini conducantur. Ad primam tonsuram, quatuor Minores Ordines et Majores accessurus debet esse baptizatus, sacro Chrismate confirmatus, legitimis parentibus ortus, vel a sede Apostolica legitimatus, diœcesanus

noster origine vel domicilio, vel beneficio Ecclesiastico legitime et pacifice possesso, vel denique a proprio Episcopo cum litteris patentibus dimissus. Ad primam tonsuram et tres Minores Ordines, septem; ad Acolytatum duodecim anni completi requiruntur: Ad subdiaconatum viginti duo, ad Diaconatum viginti tres, ad Presbyteratum quinque et viginti saltem incepti. Doctrina in tonsurandis et Minoribus quatuor ordinibus initiandis a Nobis non requiritur tanta, dummodo latine bene legere et scribere norint, doctrinamque Christianam probe calluerint. In Subdiaconandis, Diaconandis et Presbyterandis longe alia requiritur, utpote absoluta minimum Rhetorica, et Casus conscientiæ per biennium cum fructu auditi, nisi cum aliquo ex rationabili, legitimaque causa, absque ulla aliorum consequentia dispensatum a nobis fuerit. Nullus ad Tonsuram, Minores et Majores admittatur Ordines, qui aliquem corporis vel animæ patiatur defectum seu irregularitatem, ut sunt phrenetici, insani, lunatici, epileptici, leprosi, obsessi, membro aliquo notabiliter læsi vel mutilati, aut deformi alio defectu notati. Quia vero nonnulli ex prædictis defectibus ad tempus velari possunt, perscrutentur diligenter examinatores, si quid deprehendere possint; in dubio, jurejurando se ordinandi obstringant ejusmodi defectibus non esse obnoxios. Idem de ætate Ordinandorum maxime ad Sacerdotium, intelligendum est, quando vel aspectus vel totius corporis compositio puerilis et suspectæ ætatis videtur. Rigide etiam circa cantum Ecclesiasticum omnes exami-

nabuntur, cum videamus negligi et scandala in Ecclesiis passim ob ejus ignorantiam pari. Approbati et ad ordines admissi coram Nobis, Notario et testibus professionem fidei Catholicæ facient, præstitoque tactis SS. Evangeliis juramento promittent, se Nobis successoribusque nostris debitam observantiam, reverentiam, fidelitatem et obedientiam semper præstaturos. Restat ut ordinati modeste et sine ulla insolentia ante et post collatos ordines in hospitiis se gerant, et quam primum formata sua a Nobis habuerint corroborata itineri se rursum accingant.

Paragraphus XI.

Matrimonium.

Matrimonii Sacramentum a Christo institutum in signum desponsatæ ab ipso Ecclesiæ *(ut pulchre notat Apost. ad Ephes. 5.)*, quam misere passim et sacrilege tractetur a multis, dici vix potest. Proinde lapis omnis movendus est, ut impiæ consuetudines et abusus qui plerisque locis, vel ex fragilitate, vel ignorantia, vel denique malitia hominum irrepsere, penitus tollantur: usus hujus sacramenti verus et sanctus revocetur. Principiis vero obstandum est, et a sponsalibus incipiendum; quia tanti a plerisque fiunt, ut pluris, matrimonialem de præsenti contractum, non faciant. Volumus ergo et mandamus ut sponsalia coram aliquot testibus et Parocho, si commode fieri queat, in domo aliqua honesta, non in angulis, horreis, stabulis, lectis illicitis etc. fiant per verba de futuro et non de

præsenti: Clandestina sponsalia declaramus nulla etiamsi copula carnalis intercesserit. Ita vitabuntur discordiæ et simultates infinitæ. Contractis semel legitime sponsalibus fidem sibi invicem servabunt in conscientia coram Deo et Ecclesia, ad contrahendum suo tempore matrimonium de præsenti. Si tamen rationabilis et jure ipso definita causa subesset, cur contractus iste videretur rescindendus, eam Nobis tempestive planam facient, ut re altius examinata certi aliquid determinare circa separationem possimus, si ita in Domino videatur, cum coacta matrimonia difficiles habere exitus soleant *(c. requisitis, de sponsal.)*. Qui sponsalibus constricti sunt, sciant se sponsos tantum esse, et non conjuges atque adeo jure matrimoniali gaudere, invicem cohabitare, multo minus dormire simul et carnaliter se cognoscere non posse. Qui secus fecerint, pecuniaria, fortassis etiam corporali pœna a Nobis emendabuntur. Contracturi Matrimonium de præsenti caveant, ne cum aliquo impedimento prohibente simul et dirimente contractus fiat: attendatur etiam, ut quæ ad solemnitatem, et piam hujus contractus celebrationem faciunt accurate observentur. Impedimenta prohibentia simul et dirimentia contractum paucis versibus comprehenduntur, quorum usus apud Theologos et Casistas ubique est, et huc spectant, ut a parochis plene cum eorum explicatione intelligantur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si sponsam rapies, si clandestinus inibis.
Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.

Error personæ dirimit: ut quando Catharina pro Susanna accipitur. Error qualitatis non dirimit: ut quando ignobilis pro nobili, deformis pro pulchra, paupercula pro divite, inhonesta et diffamata pro honesta ducitur.

Conditio, quæ dirimit Matrimonium jam contractum, duplex est, servilis et honesta. Servilis dirimit, quando conditio errantis fit deterior, ut quando putans ducere liberum vel liberam, ducit servum vel servam; quando vero conditio contrahentis non fit deterior, sed manet eadem, vel fit fortassis etiam melior, non dirimit, ut cum servus servam, vel liberam ducit *(c. 1. 2. 3. et 4. de conjugio servorum, et 29. q. 2. c. Si quis liber.).* Conditio honesta et possibilis (turpes enim et impossibiles habentur in Matrimonio pro non adjectis *(c. Si conditiones, de condit. appos.)* adjecta Matrimonio et non adimpleta impedit et dirimit *(cap. super, de Spons. c. de illis, et c. per tuas, de cond. appos.)*, ut cum dicitur: Accipiam te si parentes mei contenti fuerint; si tui non sint infames etc.

Votum solemne in approbata Religione ab aliquo vel aliqua vel utroque emissum. Votum simplex in Societate Jesu post absolutum in Novitiatu biennium, eandem vim impediendi et dirimendi habet.

Cognatio triplex est, Spiritualis, Naturalis, et Legalis; de legali, quia inusitata apud nos est, dicere supersedemus. Spiritualis oritur ex Baptismo, et Confirmatione. Ex Baptismo contrahitur inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique Patrem, et Matrem; item inter le-

vantes ex baptismo et levatum, levatique Patrem, et Matrem tantum. Ita ut sola spiritualis paternitas, et compaternitas, seu commaternitas hodie resultet, et nullo modo fraternitas, uti nec compaternitas inter ipsosmet levantes (ut videre est *Trident. Sess. 24. de Matrim. cap. 2. de reform.).* Spiritualis cognatio ex Confirmatione est inter confirmantem et confirmatum, confirmatique Patrem et Matrem; et inter susceptorem et confirmatum, confirmatique Patrem, et Matrem *(ut ibid. videre est cap. 2. supra dicto.).*. Quod autem aliqui prætendunt mortuo filio spirituali baptizato, seu confirmato, cognationem cessare, falsum est; sola enim per mortem filii spiritualis cessavit paternitas, non item compaternitas, quæ tamdiu durat, quamdiu partes vivunt, sicut in cognatione naturali accidere solet.

Cognatio naturalis, sive consanguinitas vel est in recta linea, vel transversali. Recta linea vel est ascendentium ut pater, avus, proavus, abavus, tritavus etc. vel descendentium, ut pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, trinepos etc. In recta linea tam ascendentium, quam descendentium est perpetuum impedimentum. In transversali vero linea non est perpetuum, sed tantum usque ad quartum gradum inclusive; in qua linea transversali ponuntur fratres, sorores, patrui, amitæ, avunculi, materteræ, et qui ex his generantur usque ad quartum gradum inclusive. In quinto et remotioribus consequenter gradibus licet contrahere in transversali linea, non item in recta linea, ut dictum est. Qui in prohibito

gradu contrahunt, non tantum invalide contrahunt, sed etiam excommunicationem[1]) Episcopalem latæ sententiæ incurrunt. (*Clement. 1. de consang. et affinit.)* Notandum vero hic diligenter est circa gradus æquales et inæquales transversalis lineæ, quod, si Petrus cum Catharina in æquali secundo, tertio vel quarto contrahat, invalidum sit matrimonium; si vero in æquali quinto, validum et licitum sit. Rursus si Petrus sit in secundo, tertio vel quarto, et Catharina in quinto, sexto, vel remotiore gradu inæquali, licitus sit et validus contractus. Ratio est, quia *(juxta cap. finale, de consanguin.)* remotior gradus (cujusmodi est quintus vel sextus etc.) trahit secum minus remotum, cujusmodi minus remotus gradus est secundus, tertius, vel quartus, a communi radice, sive trunco, ut vocant.

Crimen dicitur impedire et dirimere matrimonium, quando alter conjugum vivente adhuc altero conjuge, cum alio contrahit matrimonium, vel contrahere promittit, et hunc illegitimum contractum vel promissionem contractus subsequitur adulterina carnis copula: quod impedimentum adulterinæ pollutionis nuncupatur. Alio adhuc modo committitur istud crimen dirimens, quando quis vel propriam, vel alterius conjugem per se, vel alium occidit, ut alio illicito potiri queat matrimonio.

Cultus disparitas dicitur ratione Baptismi: baptizatus enim cum non baptizato, sive pagano, sive Judæo contrahere nec licite, nec valide

---

[1]) Sublata est.

potest *(28. q. 1. can. cave.).* Inter baptizatum Catholicum et hæreticam, apostatam et excommunicatam, validum quidem est matrimonium, sed non licitum. *(gloss. c. non oportet. 28. q. I. et cap. decrevit de hæret. l. 6.)*

Vis seu metus injuste illatus cadens in constantem virum, aut feminam tunc dicitur, quando minus malum sustinetur, ut majus malum vitetur *(ut post alios Martinus Bonacina de legib. disp. 4. q. 2. p. 3. parag. I. n. 2.)*, minus autem malum est ducere uxorem (quam alias ducere adhibito consensu licite posset) quam bonis, liberis, patria, vita spoliari, stuprum, servitutem, carcerem perpetuum pati, vel denique infamia laborare. Quod si metum et coactionem consensus liber subsequatur, tum validum erit matrimonium, alias illicitum, et nullum.

Ordo sacer Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus nullum reddit matrimonium subsequens, propter solemne votum castitatis; non item inferiores quatuor ordines.

Ligamen matrimonii jam rati vivente altero conjuge impedit, et dirimit propter polygamiam. *(cap. licet, de sponsa duorum. Trid. Sess. 24. can. 2. de matrim.)*

Honestas Publica oritur dupliciter; 1° ex validis sponsalibus, dirimitque matrimonium inter sponsum et consanguineos sponsæ et vicissim, in primo tantum gradu. *(Trid. sess. 24. c. 3. de matrim. 20.)* 2° Ex matrimonio rato nondum consummato: et hoc dirimit usque ad quartum gradum inclusive, sicut affinitas, et in consummato per copulam matrimonio, quæ co-

pula differentiam constituit inter honestatem publicam et affinitatem adeo ut affines inter se contrahentes etiam excommunicentur,[1]) non item qui contra honestatem publicam contraxerunt. *(Clement. un. de consang.)*

Affinitas nascitur primo, ex illegitimo toro, inter sponsum et consanguineos sponsæ usque ad secundum tantum gradum inclusive. *(Trid. sess. 24. c. 4. de reform. matrim.)* Secundo, ex legitimo toro usque ad quartum inclusive gradum. Quoto enim gradu aliquis est cognatus viri vel uxoris, eodem gradu est affinis uxoris vel mariti.

Impotentia perpetua seminandi, ex quacunque causa oriatur, præcedens matrimonium (non subsequens) dirimit ipsum: hujusmodi vero impotentia est in castratis, arctis, frigidis et maleficiatis. *(tit. de frigid. et malef. per totum.)*

Raptus sponsæ, quamdiu est in potestate raptoris dirimit. Necesse ergo est ut sponsa libero loco constituatur, constitutaque libere de novo consentiat. *(Trid. sess. 24. c. 6. de matrim.)*

Clandestinum matrimonium est illicitum et invalidum. *(Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matrim.)* Clandestinum vero dicitur quod clam vel sine parocho, aliove Sacerdote de ejus vel ordinarii licentia, et duobus, tribusve testibus initur.

Impedimenta impedientia seu prohibentia tantum, et non dirimentia sunt: Sponsalia cum alia, Tempus ab Ecclesia interdictum, Votum

---

[1]) Sublata est excommunicatio.

simplex castitatis, religionis vel ordinis, Peccatum mortale, Excommunicatio major et minor, Contractus matrimonialis cum hæretica. Denique quia ad contrahendum matrimonium requiritur consensus, excluduntur ab eo tanquam inhabiles, furiosi, amentes, stulti, et id genus alii.

Proclamationes futuri matrimonii tribus continuis diebus festivis inter Missarum solemnia a proprio contrahentium Parocho fiant, non duæ uno die. Si contrahentes diversarum sint parochiarum, tum in utraque parochia publicationes fiant, scriptæque ab altero ad alterum Parochum, qui conjuncturus est matrimonio mittantur, quo pacto nullum repertum sit impedimentum, quominus legitime in facie Ecclesiæ conjungi possint. Quamdiu rescriptum non fuerit, tamdiu a nuptiis celebrandis abstinebitur. Externi, vagabundi, et qui certam sedem non habent, non conjungantur, nisi re Nobis fideliter communicata examinataque, et licentia a Nobis conjungendi impetrata. Si matrimonium impediri maliciose notaretur, tum de denunciationibus nobiscum agatur, ut certi quid decernere circa illas possimus. Quod si ex denunciationibus impedimentum aliquod verum deprehensum fuerit, tum celebrandis nuptiis supersedeatur, donec aliqua a Nobis declaratio habeatur. Pridie nuptiarum vel biduo circiter ante, contracturi confiteantur diligenter, et sacro epulo pie reficiantur, nec simul cohabitent in eadem domo ante benedictionem Sacerdotalem sub pœna arbitraria a Nobis imponenda. Nullus Sacerdos privatim in ædibus sine nostra expressa facultate nuptias

benedicat, nec diebus festivis, si contrahentes cum reliquis nuptialibus hominibus Missam integram non audiverint. Nemo coactas nuptias benedicat, sub pœna privationis beneficii; sed coactores illos ad Nos deferat, ut dignis pœnis corrigantur. Moneantur sedulo juvenes privatim et publicé ne cum hæreticis, vel invitis etiam parentibus [quibus honor debetur] contrahant, ni sæpe maledictionem pro benedictione accipere velint. Caveant Sacerdotes omnes, ne ullos alienæ parochiæ matrimonio jungant sub pœna suspensionis latæ sententiæ et privationis beneficii: hujusmodi conjunctionem illegitimam (si facta esset) declaramus nullam (uti de facto nulla est) et sacrilegam, atque provenientes inde liberos declaramus spurios (uti de facto sunt): mandantes ut Sacerdos, qui eos conjunxit sacrilege, conjunctis significet, matrimonium nullum, eosque ad proprium parochum remittat. Caveant [1])

[1]) Sequentia probe notentur:

I. Teste s. Thoma, sicut natura, civilis potestas et Ecclesia diversos *fines* habent in matrimonio, sic et *jura* diversa. In specie *Ecclesia* finem habet supernaturalem, atque adeo *conscientiæ* directionem. *Civilis* potestas finem habet *extrinsecum,* utpote quæ spectet ad solum ordinem externum.

II. Ergo leges *ecclesiasticæ,* quæ sunt intrinseca attingit: *gubernium* vero quæ sunt extrinseca. Illa ipsam matrimonii validitatem, *vinculum,* naturam regit; illud vero *effectus* ipsos externos: v. g. causas dotis, hæreditatis, illegitimitatis, jurium civilium ad officia, bona civilia etc. determinat.

III. Hinc non raro legitimæ dantur *rationes* ob quas civilis lex *licitum et legitimum* coram se pronuntiat matrimonium, quod Ecclesia uti merum *concubinatum* damnat:

insuper Ecclesiastici et laici cujuscunque dignitatis, conditionis ac præeminentiæ fuerint, ne se causis matrimonialibus ingerant, ne de sponsalibus, vel de matrimonio de præsenti, ne de eorum divortio vel separatione cognoscere, judicare, definire, et re ipsa separare præsumant, sub pœna[1]) Excommunicationis latæ sententiæ. Facta vero hujusmodi divortia vel separationes conjugum volumus et mandamus notari, notataque ad Nos quam primum per ipsos Ecclesiasticos vel laicos, vel Fiscalem deferri, ut legitimo

---

Et vice versa validum habetur *vinculum* in conscientia, quod coram tribunali civili illegitimum et nullius valoris rejicitur.

IV. Dum ergo quævis potestas in *sua sphæra* movetur, suas causas diversas tribuit suis officialibus. Ecclesia contractum judicat secundum leges suas; civile gubernium suum habet contractum quem approbat vel supprimit: *cuique suum.*

V. Modo ergo judices sæculares de internis non judicent, sed de valore contractus tantum prout valet vel non coram lege civili; nullus est catholicorum qui id vetitum esse dicat.

VI. Sensus tandem judiciorum potestatis civilis hic est: „coram lege civili (quidquid sit de conscientia etc.) valet, vel non valet, dissolvitur etc. matrimonium. Vel etiam: lex civilis non impedit quominus ad novas nuptias convoles. Sed caveas a Dei judicio.“

Cfr. Perrone: De Matrim. christ. Lib. II. §. II. c. 1. a. 1.

VII. Sedulo etiam animadvertendum est, claudestinitatis impedimentum non existere v. g. Genevæ, Lausannæ, Bernæ, Tugurii, etc. ubi Tridentinum promulgatum non fuit; ideoque valere matrimonia ibidem contracta coram magistratu civili, imo etiam coram parentibus, coram ministello protestantico, vel in secreto etc. (Cfr. Moullet II. p. 425.)

[1]) Sublata est.

nostro judicio subjiciantur, cognoscantur et decidantur. Abusum in nostra Diœcesi prorsus intolerabilem quotidie cernentes circa dispensationes sine ulla necessitate aucupandas, præmonemus omnes, et in Domino exhortamur, ut a talibus dispensationibus minime necessariis imposterum abstineant. Contrahentium nomina, cognomina, patria, cum die, mense, et anno a Parochis nuptias illas benedicentibus in proprium librum diligenter referantur.

CAPUT VI.

De re et supellectili sacra.

Paragraphus

1. Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria.
2. Sacristiæ.
3. Campanilia.
4. Cœmiteria.
5. Altaria cum paramentis et ornatu suo.
6. Tabernaculum, cum lampade, custodia, et vasculo ad deferendum ægris SS. Sacramentum.
7. Unctiones sacræ cum vasculis.
8. Cathedræ concionatorum.
9. Confessionalia.
10. Supellex sacra.
11. Fabrica templi.
12. Domus parochialis.
13. Xenodochia.

Paragraphus I.

Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria.

Quoniam Ecclesias, Capellas et oratoria extrui ad divinum cultum videmus tam obscuris, remotis, inviis, et incommodis locis, et quod gravius est, sine prævia dote, fundatione vel ullo pro fabrica et Ministro Ecclesiæ proventu: volumus, ut de loco, fundatione ejusmodi Ecclesiarum, Capellarum, et oratoriorum Nobiscum fideliter et sincere conferatur prius quam ad ipsam ædificationem veniatur: ne postquam sumptus multi facti fuerint, Episcopum ad ratificationem et benedictionem, compellendum vi, stulte existiment. Cariosa, ruinosa, vel collapsa sumptibus fabricarum; vel eorum qui vel de jure, vel consuetudine obligati sunt, instaurentur. Quæ consecranda erunt, quam primum consecrentur; quæ polluta, reconcilientur. Ecclesiæ sint mundæ, pavimentum et scamna a pulveribus et sordibus, parietes a telis aranearum. Imago Crucifixi in medio templo erecta habeatur, ut ingredientes Christiani habeant, quod pie et religiose contemplentur. Noctu sint clausæ Ecclesiæ, nec pateant interdiu tam facile quibusvis hominum quisquiliis, potissimum ubi Altaria bene ornata patent. Mulieres nullibi sint in odæis seu choris pensilibus, sed infra in navi templi. Mendici sub officiis Divinis vagari per templa ad corrogandam stipem non permittantur. Sub iisdem officiis nullæ promulgationes et citationes et instantiæ, ut vocant, habeantur, nec ulla id genus secularia negotia pertractentur.

Nil nisi quod ad templum spectat in choro, navi, vel sub tecto recondatur. Tecta studiose et frequenter visitentur, reparenturque tempestive, ne stillicidiis pleraque computrescant. Piscinam suam singula templa habeant sub terra prope altare, vel in navi, vel aliquo certo et peculiari loco cœmiterii, in quam cineres et similia immittantur.

Paragraphus II.

Sacristiæ.

Sacristiæ sint altiore nonnihil loco, sicco non humido, firmo, fornicato, fenestris bene clathratis, januis firmiter obseratis. Ita sint compositæ, ut vasa, vestes, paramenta, atque ornatus templi conservari commode, decenterque in illis possint. Arca ibi sit pro Recognitionibus, titulis, instrumentis, juribus Ecclesiarum et pecunia fabricarum conservandis. Cujus arcæ [vel arcarum] clavem unam parochus, alteram vero procuratores Ecclesiæ habebunt.

Paragraphus III.

Campanilia.

Campanilia non sint cuivis obvia, potissimum adolescentibus, qui cum ludere pulsando cum campanis volunt, pedes, brachia, crura, et cervices frangunt, uti plura habemus exempla. Campanæ, priusquam in campanile attrahantur, ab Episcopo more Ecclesiæ benedicantur. Campanæ sæpius visitentur, ne linguæ earum lapsæ quemquam, ut fit, lædant, vel omnino interimant.

Horologia, si quæ sint corrupta, reficiantur. Pulsus in tota Diœcesi nostra sit conformis matrici Ecclesiæ Sedunensi, ne advenæ et peregrinantes propter diversum in pagis pulsum, diversos quoque Episcopatus existiment.

Paragraphus IV.

Cœmiteria.

Cœmiteria sint muro cincta, portis clausa, magno aliquo visibili Crucifixo ornata, munda, sine arboribus, benedicta, excepta parte aliqua vel angulo pro sepultura parvulorum non baptizatorum: pro hæreticis et excommunicatis, quos Parochi nullo modo cum aliis Christi fidelibus sepelient. Vas aquæ benedictæ tam in cœmiteriis, quam templis prostet, ut ingressuri, egressurive fideles aqua se lustrali ex antiquissimo Ecclesiæ usu aspergant. Cœmiteria pecoribus ad demetendam herbam nunquam pateant. Sparsa mortuorum hinc inde ossa colligantur, et in ossuaria abdantur.

Paragraphus V.

Altaria cum paramentis et ornatu suo.

Altaria sint lapidea, consecrata, vel portatili saltem lapide consecrato instructa. Crassiore cerata tela, et duabus lineis mappis tegantur, quarum una oblongior latus utrumque cingat. Post absolutas Missas velum vel tapes mappis contra pulveres et alias sordes super inducatur. Crux in medio altari cum duobus candelabris constituatur. Candelæ sint cereæ, non ex sebo,

vel lampades ex butyro, alio enim ista spectant. Imagines cariosæ, vel pene obsoletæ, vel minus decentes auferantur, vel renoventur ex integro, vel pulchriores substituantur, ut non detur adversariis ridendi occasio, sed potius ab hæresi resipiscendi, quando templa Catholicorum ornata cum haris suis conferunt. Usus imaginum non solum in Ecclesiis, sed etiam privatim in ædibus, hypocaustis, et cubiculis observetur, ut quæ doctos et idiotas ad devotionem, Dei et Sanctorum cultum, ad patientiam, amorem, et alias virtutes alliciunt. Cultus seu veneratio imaginum (cujusmodi est capitis nudatio, osculatio, genuflexio) non terminatur in ipsis imaginibus, sed earum prototypis, quæ sunt Christus, verbi gratia, Beata Virgo, et alii Sancti. Coluntur ergo imagines cultu imperfecto, sive secundum quid; Christus vero, Beata Virgo et alii Sancti cultu perfecto seu simpliciter, cum maxima tamen differentia; Christus enim Latriæ, B. Virgo Hyperduliæ, reliqui Sancti Duliæ duntaxat cultu honorantur. Sacræ Reliquiæ decenter et reverenter in lipsanothecis asserventur, singulis singulæ schedæ appendantur, dubiæ et suspectæ a certis et indubitatis separatæ, alium in locum, honestum tamen, abdantur. Calix sit vel argenteus totus, vel saltem cupa argentea: stannei et plumbei calices abscondantur, ususque eorum, uti et fractorum argenteorum e medio tollatur. Patenæ sint cum calicibus suis nitidæ, itidem argenteæ, et ad colligendas micas aptæ. Purificatoria sint bene munda, alba, integra, non lacerata, non perforata. Pallæ item et Corpo-

ralia, quæ amylo roborantur: obsoleta comburantur, cineres in sacrarium recondantur. Vela calicum sint plura pro ratione colorum in Ecclesia Romana usitatorum, uti videre erit in Missali Romano de paramentis et coloribus, in rubricis. Mappæ Altarium sint duplices, ut et corporalia, pallæ, purificatoria, et mantilia ad tergendos celebrantis digitos, ut dum alia lavanda dantur, alia recentia substituantur. Antipendia altarium non negligantur. Altaria valvis suis claudantur subinde, in Quadragesima vero propriis obtegantur velis.

Paragraphus VI.

Tabernaculum cum lampade, custodia, et vasculo ad deferendum ægris SS. Sacramentum.

Tabernaculum pro SS. Sacramento sit in medio altari, more Romano; unctiones sacræ cum suis vasculis, et pyxis sacra pro deferendo ad ægrotos venerabili Sacramento ibidem vel in Armario antiquo collocentur. Monstrantia pro festo Corporis Christi suum habeat in medio pellucidum vitrum, ut sacra videri hostia a populo commode possit. Lampas ante tabernaculum dies noctesque luceat, quam fovebit mane et vesperi, æditnus post signum salutationis Angelicæ. Sumptus pro perpetuo hoc lumine facient parochiani, uti et aliarum lampadum et cereorum, nisi de jure vel consuetudine ab Episcopis approbata ad ejusmodi teneri Parochi ostendantur.

Paragraphus VII.

Unctiones Sacræ cum vasculis.

Sacras unctiones in mundis et nitidis stanneis vel argenteis vasculis stola involutis Curati singulis annis Seduni in Episcopali arce tempestive, reverenter, et pie excipient,[1]) et sub privatione curæ, vel Beneficii ad suas quique parochias deferent; pristinas unctiones comburent, cineres sacrario immittent, novis vero in Paschate et Pentecoste, pro renovando baptismate, utentur.

Paragraphus VIII.

Cathedræ Concionatorum.

Cathedra seu suggestus concionatoris in templo non sit humilis neque obscuro loco sed aperto, ut concionator audiri facile et intelligi a populo queat.

Paragraphus IX.

Confessionalia.

Confessionalia propria habeantur ad audiendas confessiones; lamina perforata inter faciem Confessarii, et pœnitentis interposita mutuum tollat aspectum. Ex latere confitentis appendatur pia aliqua imago, qua excitari ad devotionem possit.

---

[1]) Hæc cura laicis omnino non committatur.

Paragraphus X.
Supellex sacra.

Supellectilis Sacræ, quæ in vasis, vestibus, paramentis, et ornatu Ecclesiastico consistit, diligens ratio habeatur, ne per incuriam, negligentiamve Ecclesiasticorum res sacra, atque adeo cultus divinus probro habeatur. Omnia sint munda et nitida, ne prophana Sacris præferri, quo ad mundiciem et splendorem in Ecclesia Dei audiantur. Calices, patenæ, vascula oleorum ab iis solis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, abluantur, tergantur. Pari modo corporalia, pallæ et purificatoria primum ab illis, deinde ab aliis honestis personis bene laventur, et corporalia, pallæque sic lota amylo roborentur. Reliqua cum vasa, tum paramenta, ut sunt mappæ altarium, mantilia, humeralia, albæ, cingula, superpellicea, urceoli, candelabra, lecyti, cruces, imagines, antipendia, tapetes, pulvinaria, casulæ, dalmaticæ, stolæ, manipuli, vela, etc. ab æditüis seu aliis honestis personis excutiantur, purgentur, laventur, mundentur: fracta laceraque reficiantur. Caveant Ecclesiastici ne vel ipsi, vel æditui quicquam horum in prophanos convertant usus, licet tritissimum esset: sacra enim sunt omnia, et Deo dicata. Ex antiquis ornatibus unius speciei fiat aliquid alterius speciei v. g. ex vexillis fiant vela calicum pro quotidiano usu, vel bursæ corporalium, et sic deinceps. Quod si adeo attrita sint, ut nulli usui nec sint, nec esse possint, comburantur, cineres in sacrarium mittantur. Attriti et notabiliter fracti

calices, et patenæ fundi possent, et novi alii, vel simile quid confici.

Paragraphus XI.

Fabrica Templi.

Fabricæ Ecclesiæ ubi nullæ sunt, erigi debent; ubi collapsæ, ad nitorem suum sunt revocandæ, propter singularem in Ecclesiis necessitatem. Cavendum ante omnia diligenter est, ne fabricæ nimium graventur, vel a Parochis, vel procuratoribus, et aliis, plus imponendo oneris, quam ferre valeant. Cum rationes acceptorum et expensorum redduntur, viderint omnes, ne immodicis conviviis, et sumptibus fabricæ onerentur. Supremus fabricæ procurator erit Parochus loci, tum alii duo laici assumentur, qui, ut supra dictum est, distinctas cistæ vel cistarum claves pro diversis seris singuli singulas habeant: et cum jura, vel instrumenta aliqua lustranda sunt, vel nummi exponendi pro usu Ecclesiæ, omnes una cum suis clavibus ad aperiendas arcas conveniant. Plura videantur supra *(in paragraph. 10. de procuratoribus templi, cap. 2.).*

Paragraphus XII.

Domus Parochialis.

Parochialis domus sarta tecta conservetur. Parochiani in instaurandis ruinosis, et aliis emendandis materiam suppeditent; Parochus vero inducat per operarios suis sumptibus formam. Quod si aliquid de novo ex funda-

mento extruendum sit, id totum quoad materiam et formam sumptibus parochianorum fiet. Attendant templi procuratores, ne quid jacturæ, domus, horreum, stabulumque patiatur; præmoneant ut occurratur vel (si nulla speretur emendatio) Vicario rurali, vel Nobis opportune significent. Idem intelligimus de possessionibus seu prædiis parochialibus.

Paragraphus XIII.

Xenodochia.

Cum ex decreto *Conc. Trid. (Sess. 7. c. 15. et Sess. 22. c. 8. et Sess. 25. cap. 8. de reform.)* et aliis juribus antiquioribus Xenodochiorum seu Hospitalium cura Episcopis competat, monemus, iterum, iterumque exhortamur omnes et singulos administratores, ut fructuum, eleemosynarum, ac bonorum diligentem rationem habeant, nec quicquam eorum in alium usum, quam a piis fundatoribus præscriptum est, convertant: pauperibus liberaliter, et charitative sua promant: nihil ex pauperum bonis in suam utilitatem trahant, inutiles sumptus vitent, nulla bona vendant, permutent vel quovis modo alienent, nisi servatis servandis. *(Clement. de rebus Eccles. non alienand.)* In hospitalia maleferiati, scurræ, nebulones etc. non recipiantur; robusti mendici de addiscenda honesta arte aliqua admoneantur. Hospitalis incolæ sæpe confiteantur, frequentes sint in Sacro, orent assidue pro benefactoribus, laborent dum vires suppetunt; a rixis, dissensionibus et simultatibus abstineant, pacifice

vivant, Ecclesiasticos exhortatores gratanter audiant, vitam denique Deo, Angelis, hominibusque gratam et acceptam vivant.

CAPUT VII.
De Beneficiis Ecclesiasticis.

Paragraphus

Paragraphus I.
Jus patronatus, et præsentationis.

Jus patronatus prave et perperam a multis sæpenumero explicatur et usurpatur; adeo ut qui eo potiuntur, sibi penitus persuadeant, jus omne disponendi, tractandique de beneficio Ecclesiastico penes se esse. Episcopum vero et collatores parum vel nihil juris reliqui habere. Ergo ut malo huic tandem occurratur, et patroni nulla amplius culpabili laborent ignorantia, sciendum est, Patronum jus sui Patronatus acquirere vel ex fundatione, vel ædificatione, vel dotatione alicujus Ecclesiæ, divisim vel conjunctim sumptis istis tribus causis seu titulis. Jus vero quod acquirit sui patronatus, est potestas Clericum idoneum instituendum ad vacans beneficium Ecclesiasticum nominandi vel præsentandi Episcopo vel superiori, vel inferiori instituendi jus

habenti. Patroni possunt esse vel Ecclesiastici vel laici, qui nisi intra præscriptum a jure tempus personam aliquam idoneam præsentent, vacantibus pro illa vice beneficiis, authoritate ordinaria providebimus. Patronis Ecclesiasticis spatium præsentandi sex mensium; laicis vero quatuor mensium conceditur *(c. unico de jure patronatus in 6.)*. Caveant patroni a promissionibus simoniacis, et a pactis illicitis præsentandorum: multo magis Clerici, ne tanquam fures et latrones aliunde in ovile Christi ascendant: intrent potius per ostium legitime et canonice in ovile. *(Joan. 10.)* Caveant etiam patroni, ne præsentatis clericis ulla qualiacunque nova, et insolita sine nostra auctoritate imponant; nihil sibi in pratis, agris, vineis, decimis et quibusvis redditibus usurpent; sed totum instituto legitime clerico sine ulla diminutione relinquant. Caveant denique patroni, ne præsentatos vel canonice institutos Clericos ita tractent, ut conqueri merito possint; atque adeo beneficia deserere vel resignare compellantur. Quod quia in maximum Ecclesiæ præjudicium vergit, ideo, justis pœnis quemvis in officio suo, ne alienum usurpet, continebimus.

Paragraphus II.

Institutio, seu collatio beneficiorum.

Institutio Beneficii Ecclesiastici ordinaria est Episcopi diœcesani. Cum patronus idoneum præsentaverit Clericum, cogitur Ecclesiasticus institutor instituere præsentatum. Collatio bene-

ficiorum si scienter indigno, vel canonico aliquo impedimento laboranti fiat, ipso jure nulla est, et hoc ipso devolvitur collatio ab uno collatore ad alium collatorem plerumque superiorem; sicuti etiam devolvitur, si beneficium intra sex menses a die, quo rescitum est, numerandos, absque legitimo impedimento non conferatur. Nemo ad curata beneficia assumptus Sacramenta administret, nec quicquam faciat, quod animarum curæ sit annexum, nisi prius sit canonice approbatus, et investitus. Alias sacrilege et frustra absolvet a peccatis eos, in quos nullam adhuc habet jurisdictionem. Nemo etiam ullum beneficium sive curatum, sive simplex possideat; neque fructus illius suos faciat, qui legitime institutus non fuerit. Quod si ab aliquo, cujus est collatio, investiendus sit, a Nobis tamen juxta *Trident. (Sess. 25. c. 9. reform.)* prius de vita, moribus, et sufficiente doctrina examinabitur: alioqui collatio ab inferiore facta hoc ipso nulla erit. Ad institutionem admissus professionem fidei, tum infrascriptum juramentum præstabit. Ego N. Reverendissimo et Illustrissimo Domino etc.

Paragraphus III.

Pluralitas beneficiorum.

De pluralitate beneficiorum cum jura sint clara, et verba *S. Conc. Trid. (Sess. 7. c. 2. et 4. Sess. 24. c. 17.)* sint tam fusa, et perspicua, videantur ibi, atque ad praxim referantur.

Paragraphus IV.
Resignatio beneficiorum.

Resignatio beneficii in Ecclesia Dei (nisi justissima de causa fiat, cujusmodi est Religionis ingressus etc.) plerumque est odiosa, quasi minus pingui beneficio relicto, pinguiori inhietur. Proinde resignatio cujuscunque beneficii non nisi ad manus nostras, vel ejus, qui collator est beneficii, fiet: qui sedulo observabit, ne quicquam in præjudicium Ecclesiæ vergat.

CAPUT VIII.
De Bonis Ecclesiasticis.

Paragraphus

1. Bona et jura Ecclesiæ.
2. Immunitates, privilegia, libertates.
3. Decimæ, primitiæ, oblationes.

Paragraphus I.
Bona et Jura Ecclesiæ.

Bona Ecclesiarum sunt bona Deo consecrata, ita ut nefas sit ea aliis, quam piis et sacris usibus applicare, eoque major, et strictior ratio ab istis sit reddenda, qui illegitime ea usurpant, dispensant et alienant. Quocirca omnibus cum Ecclesiasticis personis, tum templi procuratoribus serio injungimus et imperamus, ut quæcunque ad Ecclesias spectant, in Inventarium referantur, ut sunt paramenta, utensilia, ornamenta etc. Item fundi, prædia, census, decimæ, et alia

similia. Volumus insuper, ut omnia ista scriptis mandata, cum Recognitionibus, Titulis, et quibuscunque juribus et litteris, loco in Ecclesiis fornicato, tuto et sicco recondantur, obserentur, reservatis arcæ clavibus tam ab Ecclesiasticis, quam procuratoribus. Nemo prædia, bona, jura etc., sine evidenti utilitate vel necessitate, nostraque expressa approbatione vendat, permutet, oppignoret, obliget, ad longum tempus locet, vel quomodocunque alienet: factas secus alienationes et obligationes irritas ac nullas declaramus, justas alienatoribus pœnas interminantes. Prata, agri, vineæ, et horti diligenter colantur; fœnum, stramen, et similia non distrahantur, ne per eam distractionem possessiones (deficiente fimo) steriles reddantur. Fœnum (si opus sit) ita vendatur, ut non exportetur ad alienum fœnile et stabulum, sed in parochiali stabulo penitus consumatur. Non ita sint parci, vel potius tenaces parochi in ædificiis et prædiis sartis tectis conservandis, ut omne onus in successores suos devolvere velint, et parum, vel nihil emendare, cum id non hominibus, sed Deo ipsi præstetur. Caveant hæredes Clericorum, ne jura, scripta, et similia quæ ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos ipsos pertinent, reperta apud se retineant, sed ea successoribus in eadem parochia, capella etc. sine ulla tergiversatione, dolo, fraude, muneris vel doni exactione reddant. De occupantibus bona Ecclesiastica videatur *Conc. Trid. sess. 22. cap. II. de reform.*[1])

---

[1]) Potius: Const. „Apost. Sedis." D. 3.

Paragraphus II.

Immunitates, Privilegia, Libertates.

Immunitates Ecclesiasticas, Privilegia et Libertates, quia per hæreses et pravos cum Ecclesiasticorum, tum Laicorum mores, jacturam nonnullam passæ sunt, renovari volumus, sive loca sacra, sive personas Ecclesiasticas concernant. Quocirca Ecclesiasticos omnes et Laicos cujuscunque status, et præeminentiæ sint, in Domino monemus, ut ad prædictam immunitatum et privilegiorum renovationem et observationem contendant prævio aliis exemplo, nec ullo modo sinant ea vel minimum impediri, violari, imminui. Nemo secularium manus violentas in ullum Clericum injiciat quacunque de causa, nec incarceret, neque vinculis ullis coerceat, sed crimine Nobis vel Fiscali nostro patefacto, totam Ecclesiæ (cujus est castigare) potestatem et jurisdictionem istam relinquat, memor verbi Domini: *Qui gladium* (illegitime usurpando) *acceperint, gladio peribunt. (Matth. XXVI, 52.)* Quod si Clericus crimine aliquo enormi, quod depositionem Ecclesiasticam et capitale supplicium ex genere suo mereretur, suspicioque vehemens de fuga haberetur, in hoc casu permittimus Magistratui seculari, ut vel decenter vinctum ad Nos perducat, vel loco honesto tanquam in arresto eousque detineat, donec de toto negotio plenius informemur. Qui ad Ecclesias et loca sacra et ædes Clericorum tanquam ad asylum fugerint, inde a Magistratu seculari ne extrahantur, præterquam latrones

publici, agrorum devastatores nocturni, viarum obsessores, et alii, de quibus *(c. fin. de Immunit. Eccles. et 17. q. 4. c. inter. et c. antiquitus.)*. Clerici neque seipsos ad judices Seculares provocent, confugiant, appellent, neque patiantur ad Secularia tribunalia a laicis se citari, vel pertrahi, cum tribunal Clericorum sit tribunal Episcoporum. Parochi sæpius immunitates et privilegia Ecclesiastica populo inculcent, Bullam [1]) cœnæ Domini familiarem sibi, plebique faciant; ne alicubi impingatur, et excommunicatio latæ sententiæ incurratur. De privilegiis nonnullis Clericorum videatur supra *(cap. 3. parag. 10.)*.

Paragraphus III.

Decimæ, Primitiæ, Oblationes.

Cum Decimarum solutio debita sit Deo *(Exod. 22. et 23. Levit. 27. Num. 18. Tob. 1. Malach. 3.)*, non sunt ferendi, inquit S. Synod. Trid. *(Sess. 25. c. 12. reform.)* qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertunt; et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur Sancta Synodus omnibus, cujuscunque gradus et conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas ad quas de jure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscunque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero

---

[1]) Id vix utile foret ætate nostra.

eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur: huc usque Synodus. Novalia decimas debent, sive aratro, sive ligone fiant.

Primitiæ rurales, pecorum, fructuum, caseorum, butyri etc., (cum earum solutio debita sit Deo, ut ex plerisque capitibus supra pro Decimis citatis, et aliis adhuc pluribus constat), plenius et æquius, quam hactenus plerisque locis sölvantur.

Convivia propter Primitias institui solita, quoniam in præjudicium parochorum cedere intelligimus, vel tollantur, vel redimantur, vel minus sumptuosa habeantur. In Primitiis suis Neomystæ sub pœna arbitraria non ducant choreas.

Oblationes non tantum in veteri testamento, ut videre est *in Exod. Levit. Deut. etc.* commendatæ semper populo fuerunt, sed etiam in Ecclesia Catholica semper usitatissimæ. Hæresis vero et suffocata Christianorum charitas eas propemodum extinxerunt. Suscitandæ igitur sunt dextre et cum discretione, populoque inculcandum subinde, quam graviter errent ii, qui parum vel nihil toto anno offerunt, cum non hominibus, sed Deo ipsi offeratur.

CAPUT IX.
De judicio ecclesiastico, et nonnullis criminalibus.

Paragraphus

Paragraphus I.
Jurisdictio fori externi.

Ratione duplicis status, Ecclesiastici scilicet, et sæcularis, duplex etiam assignatur Jurisdictio, quæ sunt gladii duo Evangelici *Luc. 22.* de quibus Christus, *satis est,* inquit. Harum Jurisdictionum altera alteri neutiquam derogat, sed potius sublevat in necessitate. Magistratus sæculares manus ab Ecclesiastica Jurisdictione abstineant, causas Ecclesiasticas pertractando, decidendo, puniendo; uti pro dolor, ante hac sæpenumero factum est; cum non tantum causæ, sed et personæ Ecclesiasticæ Deo consecratæ ad extremum mortis supplicium damnatæ sunt, sine ulla prævia degradatione Ecclesiastica, et alia juris forma. Meminerint tam in novo, quam Veteri Testamento sumptæ a Deo de tam

immani scelere vindictæ. Recolant quid contra tales S. Synodus *Trid. (Sess. 25. c. 20. reform.)* jactet, quæ et quanta *(Bulla Cœnæ)* fulminet. Attendant denique penitius quid Christus Petro *(Matth. 26.)*: *Converte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

Paragraphus II.

Causæ Ecclesiasticæ.

Causæ Ecclesiasticæ sunt triplicis generis. Aliæ sunt ex natura sua mere spirituales, ut quæ circa fidem, Sacramenta, cæremonias et Ecclesias versantur. Aliæ quæ ex spiritualibus emergunt, ut quæ ex matrimonio, locisque sacris. Aliæ denique sunt mixtæ, ut quæ spirituali temporale aliquid annexum habent, cujusmodi sunt jura, proventus, servitutes Ecclesiarum, Xenodochiorum, etc.

Paragraphus III.

Hæresis.

Hæretici formales, qui videlicet habent errorem aliquem pertinaciter contra fidem veram, Catholicam et Romanam, idque signo, verbo, vel omissione alicujus exteriorum, quod facere debebant, produnt, turbas sæpius ciere in Episcopatu nostro solent, ægerrimeque ferre, si intelligant, suis commilitonibus sacram negari sepulturam in loco sancto; atque adeo importune et moleste parochos tractant, ut non immerito de relinquendis quandoque paræciis apud nos agant. Ergo ut pro munere nostro Episcopali

tantis malis occurratur, volumus ut similes hæretici (si cum reliquis Christifidelibus in eodem cœmiterio quiescere velint) opera quoque fidelium et vere Orthodoxorum exerceant, id est, hæresim abjurent, confiteantur, communicent et id genus alia faciant, quæ Christianos decent, et in professione fidei inferius visenda complectuntur. Ita cessabunt querelæ, jurgia, et odia, quibus Divina Majestas sæpe offenditur, et populus scandalizatur.

Paragraphus IV.

Simonia.

Simonia etsi grave et omnibus detestabile crimen esse non ignoretur, viget nihilominus, vigebitque semper, nisi acerrimis pœnis compescatur, quas equidem Nobis gravissime pendent Simoniaci. Contingit autem id vitii frequentius in Beneficiis Ecclesiasticis petendis, conferendis, resignandis, et permutandis, rarius in aliis. Si quid pure sponte, et sine pacto vel conventione, gratisque offeratur, id Simoniacum non est. Quæ pro acquirenda dignitate aliqua, Canonicatus alteriusve beneficii possessione dantur vel accipiuntur, si moderata sint, et in pium usum, atque ad Ecclesiæ et fabricæ necessitatem convertantur, concedimus; si secus fiat, Simonia est.

Paragraphus V.

Concubinatus.

Concubinatus vel minima suspicio, populum graviter offendit. Quocirca ita a mulieribus frequentandis, alliciendis, admittendis, vel reti-

nendis abstinebunt Clerici, ut non nisi consanguineas domi suæ habeant. In concubinarios tam Ecclesiasticos, quam laicos ita animadvertetur, ut si moniti actutum non acquieverint, seque emendaverint, ac scorta sua non deseruerint, eos vinculis Excommunicationis et corporis simus emendaturi. Nec mitius tractabuntur concubinæ per Nos, vel nostrum Vicarium Generalem aut Officialem.

Paragraphus VI.

Usura.

Quoniam usurarii nunquam carent excusationibus usuræ suæ, nec videri unquam tales (quamvis revera sint) volunt, monendi atque de usura diligenter informandi sunt. Omnis ergo ille usurarius est, qui ex mutuo dato aliquid præter sortem capitalem ex conventione percipit. Qui ergo nulla habita ratione tituli lucri cessantis, vel damni emergentis, sed solius lucri intentione mutuo dant, et quinque vel plura, vel aliquid æstimabile pretio postulant et accipiunt, ejusmodi vere usurarios esse dicimus *(cap. consuluit, de usuris. Mutuum date, inquit Christus Luc. 6. nihil inde sperantes).* Nec excusantur qui pupillorum, viduarum et piorum locorum bona per usurarios contractus augere volunt. Viderint quid agant qui plura quam quinque pro centum petunt. Item qui nummos aureos vel argenteos carius exponunt, quam communis taxa patiatur. Rursum qui corruptas merces mutuo dant, ut quid melius

et carius in integrum recipiant. Præterea qui frumenta, vina, etc. coëmunt, ut cariore tempore cariora vendant. Confessarii hac in re sint prudentes et cauti. Parochi cum concionatoribus sint vigilantes, carpant prudenter et efficaciter id vitii pro concione, usurariosque ad restitutionem cum *Zacchæo (Matth. 19.)* compellant.

Paragraphus VII.

Violatio Immunitatum Ecclesiæ, et usurpatio bonorum Ecclesiasticorum.

Violatores immunitatum, privilegiorum, et Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sicut et occupatores bonorum Ecclesiasticorum sæpe instruantur *ex Bulla Cœnæ:* miserrimus eorum status (nisi resipuerint) serio proponatur. Caveant parochi et alii, qui potestatem absolvendi a casibus Papalibus non habent, ne talibus beneficium absolutionis ullo modo impertiant, nisi in articulo mortis, ut habetur in prædicta bulla, facta prius restitutione, vel sufficienti data cautione, etc. Plura videantur in *Trid. [Sess. 22. c. 11. reform.]* [1])

[1]) Vid. Const. „Apost. Sedis."

CAPUT X.
De Pœnis Ecclesiasticis.

Paragraphus

Paragraphus I.
Pœna in genere.

Duo sunt genera pœnarum in Ecclesia, corporale alterum, alterum spirituale. Corporalis pœna, quæ communis est cum pœnis civilibus, consistit in bonis corporis et fortunæ, uti est carcer, exilium, multa pecuniaria: quæ pœnæ antecedunt vel concomitantur, vel subsequuntur Censuras Ecclesiasticas, vel pœnas alias spirituales corporalibus longe graviores. Spirituales pœnæ sunt Censuræ Ecclesiasticæ, et quæ strictius pœnæ appellantur; depositio, degradatio, cessatio a divinis, et nonnullæ irregularitates.

Paragraphus II.
Censuræ Ecclesiasticæ.

Censura, quæ est nervus Ecclesiæ *(c. cum inter, de consuetud.)* est pœna spiritualis, medicinalis et temporalis privans usu rerum spiritualium, de quibus Ecclesia disponere potest, peccatis Christianorum ita per Ecclesiasticam potestatem imposita, ut per eandem tolli ordinarie

possit. Tres sunt ejus species: Excommunicatio, quæ Ecclesiasticos et Laicos; Suspensio, quæ Ecclesiasticos duntaxat; et Interdictum, quod personas, et locum divisim vel conjunctim concernit. Censet vero et punit Ecclesia propter peccatum externum [de occultis enim non judicat Ecclesia] *(can. erubescant. d. 32.)*, consummatum et in jure expressum: siquidem in censuris non valet argumentatio a simili, ut tradunt Casistæ. Non est cujusvis excommunicare, sed ejus solius, qui in foro externo jurisdictionem ordinariam vel delegatam non impeditam publica aliqua excommunicatione, suspensione, interdicto, vel notoria Clerici percussione habet. Talem excommunicandi potestatem in nostra Diœcesi habent Ordinarius, Decanus Sedunensis, Capitulum Sedunense, vacante Sede, Officialis, Abbas, Præpositus, non item Curati et Vicarii. Censuræ aliæ sunt a jure, aliæ ab homine: aliæ generales, particulares aliæ: aliæ latæ sententiæ, aliæ ferendæ seu comminatoriæ; aliæ validæ, aliæ invalidæ; aliæ personarum, aliæ locorum, aliæ utrorumque simul: aliæ denique reservatæ, aliæ non reservatæ. Violator censuræ alicujus peccat mortaliter, et fit irregularis.

Paragraphus III.
Excommunicatio.

Excommunicatio est duplex, major et minor.[1]) Major privat Christianum hominem bonis fidelium communibus; minor vero aliquibus tan-

[1]) Minor de facto sublata est a Pio IX.

tum: privat enim passiva receptione Sacramentorum citra incursionem irregularitatis, et passiva electione ad beneficium et dignitatem Ecclesiasticam. Incurritur vero minor excommunicatio propter communicationem cum notorio percussore Clerici, vel cum nominatim denunciato excommunicato, non item cum excommunicato minore excommunicatione. Absolvere ab excommunicatione minore potest quivis Sacerdos habens potestatem absolvendi a mortali peccato, si pœnitens mortali laboret, si enim veniali tantum laboret, tum a quovis Sacerdote etiam non approbato potest absolvi: talis enim respectu peccati venialis, est proprius Confessarius.

Major excommunicatio incurritur ob peccatum mortale cum inobedientia Ecclesiæ et contumacia commissum. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus. (Matth. 18.)* Ut cum quis volens et prudens id committit, quod scit sub excommunicatione prohibitum esse, sive id ex contemptu, sive ex affectu et passione fiat ut patet ex multis capitibus *II. quæst. 3.*

Majore excommunicatione irretitus ex notoria Clerici percussione, vel nominatim et publice denunciata ac proclamata excommunicatione, privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, activa et passiva susceptione Sacramentorum, beneficii Ecclesiastici receptione, omni jurisdictionis usu, tam in foro externo, quam interno, omni actu forensi (sola sui defensione excepta), omni humana pactione, contractu et usu cujuslibet officii publici, electione ad Ecclesiasticas dignitates, omni

etiam humana et politica conversatione cum aliis Christifidelibus; adeo ut nec vicissim cuiquam cum ipso communicare unquam liceat in divinis, in humanis vero et politicis rebus solum licet in casibus hoc versu expressis.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Privatur denique excommunicatus Ecclesiastica sepultura *(c. sacris de sepult.)*.

Absolvi potest excommunicatus a quovis legitimo confessario vel proprio Sacerdote, si excommunicatio sit a jure et nulli reservata; si vero reservata, tum ab eo absolvendus est, cui est reservata, vel ab ejus superiore, vel delegato vel ab Episcopo, si excommunicatus Papam adire non possit, vel cum excommunicatio ex occulto crimine contracta fuit *(Trid. Sess. 24. c. 6. de reform.)*, vel denique a quovis Sacerdote in articulo mortis. Quod si excommunicatio lata sit ab homine, ab eo tantum absolvi potest, vel ejus superiore, vel delegato, vel ejus successore legitimo. In articulo mortis absolvere possunt omnes Sacerdotes [præter præcisos hæreticos et Scismaticos secundum meliorem opinionem] [1]) quosvis pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris etiam reservatis; in eo enim articulo nulla est reservatio. *(Trid. Sess. 14. c. 7.)* Debet autem is, qui absolvitur a reservata excommunicatione, quam primum fieri commode poterit, superiori, cui erat reservata, se (si convaluerit) sistere vel per se vel per procuratorem. *(Cajet. V. Excommunicatio, c. 69.)* Et ideo moneri hac

---

[1]) Hæc opinio ab omnibus rejicitur.

de re ab absolvente debet, alias reincidit in eandem *(c. eos de sentent. excommun.)*. Debet insuper pœnitens prævia satisfactione [si opus sit et temporis mora patiatur] vel cum cautione per fidejussores, seu juramentum, vel alio modo sufficienti, absolvi. *(Clem. de hæreti.)* Notandum vero est circa absolutionem, in foro poli seu conscientiæ absolutionem ab excommunicatione præcedere semper debere absolutionem a peccatis, alias Sacramentalis absolutio nulla esset, cum excommunicatus separatus sit ab Ecclesia, extra quam Sacramenta conferri non possunt.

Paragraphus IV.
Suspensio.

Suspensio est censura Ecclesiastica privans Clericum usu seu exercitio Ecclesiastici officii solius, aut beneficii solius, aut utriusque simul, ad tempus tantum, vel in perpetuum, propter suam culpam. Per officium intelligitur ordo et jurisdictio Ecclesiastica; per beneficium vero, dignitates, canonicatus, Curata et simplicia quæcunque beneficia. Ab horum usu suspenditur clericus vel in toto vel in parte, prout in sententia vel lege scriptum est. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, non potest exercere officium, nec interesse Divinis in illa Ecclesia, eo tempore, quo Divina peraguntur ibi; extra vero illud tempus orare ibi, illac transire, Sacramenta percipere ipsi licet, sed non officiare, ut officiat hebdomadarius, etc. Suspensus privatur communione fidelium aliorum in eo, in quo est suspensus, ita ut peccet communicando cum aliis.

Vicissim peccant mortaliter fideles, si cum eo (quando nominatim denominatus est suspensus) communicent in divinis v. g. recipiendo ab illo Sacramenta, sacrum illius audiendo, vel ipsum ad talia inducendo. Occulti vero suspensi quamdiu tolerantur in officio, valide et licite officium suum exercent, quoties fideles id ab eis exigunt, ne Constantiense privilegium sit frustratorium, sub Martino V. Pontif. *(in extravag. Ad evitandum scandala.)* Quod si durante suspensione impœnitens moriatur, ei tam intra Ecclesiam, quam cœmiterium sepultura negatur.

Absolutio a suspensione propter quodcunque delictum occultum, fieri potest ab Episcopo, post *Conc. Trid. (sess. 24. cap. 6. de reform.)* Si vero procedat ex delicto manifesto, non potest absolvere, nisi ille, cui reservatur, vel ejus superior vel successor. Temporalis suspensio elapso tempore evanescit; conditionata ad adventum conditionis.

Paragraphus V.

Interdictum.

Interdictum aliud est locale tantum, aliud personale tantum, aliud mixtum ex locali et personali, quod ambulatorium appellatur. Interdictum privat activa et passiva receptione Sacramentorum Ecclesiæ, exceptis Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentis pro ægris, peregrinis et ad bellum profecturis etc. Privat etiam Ecclesiastica sepultura. Tollitur interdictum ab eo, qui posuit, vel ejus Successore, vel superiore. Si sit a Canone ad

certum terminum, elapso termino cessat. Si non sit reservatum, Episcopus relaxare potest cessante causa propter quam positum est; at causa non cessante, non potest quisquam, nisi Papa. Quando personale interdictum reservatum summo Pontifici provenit ex occulto delicto nec deducto ad forum contentiosum, absolvere ab eo potest Episcopus suos subditos, post *Trid. (sess. 24. c. 6.)* Si vero ex manifesto delicto, non potest, nisi Pontifex.

Ex his facile constat, quam reformidandæ sint censuræ Ecclesiasticæ, quam cavendæ, cum hominem ab Ecclesia, a mystico Christi Corpore separent, a regno Dei excludant, Sathanæque tradant. Proinde parochos, concionatores et confessarios monemus, ut sæpe de illis tractent, mentibus hominum imprimant, vim et energiam hujusmodi pœnarum expendant, ne ignorantia culpabili laborantes in barathrum damnationis collabantur. Omnes etiam in Domino exhortamur, qui Jurisdictionem in foro externo habent, atque adeo censere suos possunt, ut moderati sint in fulminandis excommunicationibus, ne ex crebra iteratione et frequenti earum usu vilescant. Si, quod absit, nonnulli post legitimas monitiones in excommunicatione sua obdurato prorsus animo insurduerint, certiores hac de re facti, contra eos tanquam de hæresi suspectos procedemus. Attendant diligenter parochi et alii, quorum interest, ne absolutis ab Excommunicatione faciles præbeant aures, illisque credant, nisi litteras authenticas ab absolvente de facta legitime absolutione repræsentent.

CAPUT XI.
De Visitationibus.

Paragraphus

1. Visitatio ipsa.
2. Sumptus visitationis.
3. Executio articulorum visitationis.

Paragraphus I.
Visitatio ipsa.

Non immerito dicere de parochiis possumus (dum diligenter visitantur) *cum Job. cap. 10. Visitatio tua custodivit Spiritum meum.* Quantus ex visitationibus fructus oriri possit, vel ex contrario colligi facile potest. Cum enim raræ sunt visitationes, rara est disciplina Ecclesiastica, rarus vel nullus est Dei cultus, languent omnia, excessus vel defectus ubique inveniuntur, vix in medio consistitur: hinc superstitio et acedia tam in parochis, quam parochianis, atque vera vel ficta et prætensa succrescit ignorantia. Quibus omnibus ut occurratur, statuit S. Synod. *Trid. (sess. 24. c. 3. de reform.)*, ut quovis saltem biennio singulæ diœceses visitentur. Cui ut fieret satis, ex intimis vellemus visceribus; sed cum tantæ sint excusationes et remoræ propter sumptuum difficultatem, quando in propria persona visitamus, satis videtur ut rarius Episcopus propter majorem et vero necessarium comitatum visitet, sed id munus subinde vel vicario Generali vel Officiali, vel Vicariis ruralibus infra et supra Morgiam committat. Qui ut viri graves,

et docti prudentia et rerum bene gerendarum scientia præditi, id muneris studiose, sine superfluis expensis, sine pravo affectu obibunt, excessus et defectus minores corrigent, majores vero cum tota visitationis serie, Nobis quam primum ex visitatione redierint, luculenter in Scriptis referent, ut quod ad Ecclesiasticæ disciplinæ reformationem et conservationem facere in Domino videbitur, post maturam deliberationem nostra auctoritate corroboretur.

Paragraphus II.
Sumptus Visitationis.

Sumptus qui facere teneantur, facile apparet. Illi enim faciant necesse est, propter quos laboratur, et visitatio instituitur. Compertum vero est et indubitatum, laborem hunc et visitationem suscipi non tantum propter parochos et alios Ecclesiasticos, sed etiam propter parochianos, atque adeo visitari pastorem, oves, et ovile ipsum. Conveniant ergo parochus et parochiani inter se de sumptibus ob visitationem faciendis, amice et benevole, sine querelis et acerbitatibus, cum prædicti sumptus pauci futuri sint, vitatis conviviis et multitudine convivarum, et omni omnino munere repudiato. Dabunt visitatores operam ut vel in parochia, vel honesto aliquo hospitio refectionem suam honestam, minime sumptuosam et superfluam, cum parocho et (si opus sit) uno tantum vel altero parochiano sumant, visitationemque omnem brevissimo tempore, exacte tamen perficiant, ne sit querela de sumptibus.

Paragraphus III.

Executio Articulorum.

Ante omnia examinabunt, indagabuntque de articulis superioris visitationis, observati, executionique mandati necne sint. Causas intelligent, monitisque iterato parocho et parochianis pœnas interminabuntur, ni pareant, quas ab illis infallibiliter repetemus, ne sedes et Episcopalis authoritas susque deque habeatur, atque disciplina cum obedientia Ecclesiastica paulatim nihili fieri existimetur. Pervicaces et rebelles sigillatim annotentur, ut etiam sigillatim in eos animadvertatur.

CAPUT XII.

De synodo diœcesana.

Paragraphus

1. Celebratio Synodi.
2. Personæ Synodales.
3. Utilitas et necessitas Synodorum.

Paragraphus I.

Celebratio Synodi.

Inter alios Deo acceptos Ecclesiasticos actus non in postremis habenda est Synodorum celebratio, quæ in primitiva (ut de veteri lege taceamus) statim Ecclesia floruit, ut videre est in Actibus Apostolorum: *Ego sapientia habito in Consilio et eruditis intersum cogitationibus.*

(Prov. 8.) Rursum *(Matth. 18.): ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quæ enim conformitas Divini cultus, et ceremoniarum in uno eodemque Episcopatu esse potest, ubi per multos annos nullum Ecclesiasticorum Concilium habitum est? In Synodo diœcesana omnia tanquam in speculo, uno intuitu videri, examinari, revideri, corrigi, emendarique possunt, ubi Sacerdotum cum Prælato suo cor unum et anima una invenitur. Ibi fraus, ibi dolus et deceptio exulat, cum quod oculus unus nequit, plures simul videre queant, assistente potissimum Deo, cordium et cogitationum universarum scrutatore.

Paragraphus II.

Personæ Synodales.

Personæ Synodales sunt Ecclesiastici duntaxat, qui ubi indicta Synodus fuerit, sigillatim vocabuntur. Neque enim prophana ibi et politica tractari solent, sed tantum Ecclesiastica; quæ prophanis permisceri nequaquam convenit; uti nec decet spiritualia in patriis (ut hactenus) comitiis sive diætis proponi, examinari, atque decidi, ne Ecclesiasticum forum sæculari foro subdere se (quod est gradus ad hæresim) paulatim videatur. *Ecclesiasticorum est sedere super cathedram Moysis, aliorum vero servare et facere omnia quæcunque dixerint illis. (Matth. 23.)* Alia est ratio, quando brachium sæculare nonnunquam invocatur ad coërcendos corporaliter (quod Ecclesia spiritu-

aliter facit) effrænatos; tum enim commissionem ab Ecclesia politicus status accipit, ut legitime exerceat, quod antea facere nec licuisset, nec valuisset.

Paragraphus III.

Utilitas, et necessitas Synodorum.

Utilitas necessitasque Synodorum quanta sit, vel inde patet (ut ex pluribus supradictis paragraphis conjicere licet) quod in illis saluberrimæ leges et constitutiones proponantur, examinentur, perpendantur, confirmentur et omnes utriusque sexus homines ad eas studiose observandas excitentur. Ergo pro virili conabuntur omnes, superiores Cathedralis, collegiatæque nostræ Ecclesiæ, nec non quorumvis ordinum Religiosorum, Parochi atque alii Ecclesiastici in sua quivis Ecclesia et ordine, in quantum unumquemque concernunt, servari, executionique mandari omnia et singula, quæ in hac sacra Synodo definita, sancitaque sunt.

Denique quæcunque in hac nostra Synodo diœcesana decreta, statutaque sunt, ea nobis declaranda reservamus, omnia et singula cum debita reverentia et observantia auctoritati et censuræ Sanctissimi Domini nostri D. Urbani Papæ hujus nominis VIII. et Sanctæ Sedis Apostolicæ revidenda, censenda et approbanda demisse subjicimus, ad majorem Dei, B. Virginis, et omnium Sanctorum honorem, sanctæque Ecclesiæ et Episcopatus nostri incrementum.

Approbatio.

Præscriptæ Constitutiones Synodales, in omnibus suis punctis et articulis, per Reverendissimum et Illustrissimum Dominum nostrum, Dominum Sedunensem Episcopum etc. et Reverendos Dominos Capitulares Sedunenses, Universamque Congregationem Synodalem approbatæ, et admissæ fuerunt, salvis protestationibus et articulis peculiariter annotatis. Seduni in Choro Cathedralis Ecclesiæ die 27. Aprilis, Anni 1626. In quorum fidem nos subscripsimus:

Henricus Teler, Canonicus et Pastor Sedunensis.

Georgius Niggelius, Canonicus Sedunensis.

Jacobus Pollen, Curatus Vespiensis et Vicarius Forensis.

Guillielmus Berodus, Curatus Sancti Sigismundi apud Agaunos, et Vicarius Forensis.

Joannes Columbinus, Secretarius.

INSTRUCTIO PASTORALIS

SEU

PRINCIPIA PRACTICA

A CONFESSARIIS OBSERVANDA,

AUCTORE

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO DOMINO DOMINO

FRANCISCO JOSEPHO FRIDERICO

EPISCOPO SEDUNENSI.

Nota.

In præcedenti opere (Constitutiones Synodales), textus ipse pie sancteque servandus videbatur. Menda tamen typographica, quibus scatebat editio prima, correcta, abbreviationes sublatæ sunt, etc. Quia vero diversitas temporum nonnullas mutationes exigebat, additæ sunt extra textum, et minoribus litteris exaratæ paucæ quædam notæ, quibus edocetur lector, quænam hoc nostro tempore vim legis jam amiserint.

Alia via incedendum erat relate ad opus secundum (Instructio practica). Multa enim erant mutanda, ex iis præsertim quæ casus reservatos spectant. Itaque phrases integræ fuerunt suppressæ, additæ vel mutatæ. Imo pars quarta ex integro iterum elaborata est.

PARS PRIMA.

De iis, quæ Confessario generatim ante, in et post Confessionem Pœnitentis sunt observanda.

CAPUT I.

Quæ Confessarium, antequam Confessiones excipiat, observare deceat?

Paragraphus I.

De ejusdem Præparatione remota, seu de Virtutibus illi necessariis; et de Fontibus unde has sibi comparet.

Cum (teste S. Gregorio et ipsa experientia) Ars artium sit Regimen animarum, atque in primis arduum, laboriosum ac periculi plenum munus Confessarii, omnigena virtute et doctrina non mediocri præditus sit oportet, qui ad illud a Deo vocatus, eodem recte fungi desiderat. Officium igitur adeo sublime suscipiendum est demisso, et prompto animo, atque ad id pro viribus adimplendum præparato, ut tantæ dignitati non minus respondeat meritum; humilem fiduciam, bonamque voluntatem confirmabit Deus.

Scientiam certe requirit sacrum hoc Ministerium ampliorem, quam vulgo creditur; maturam insuper prudentiam, probitatem, ac puri-

tatem pene angelicam; sincerum denique et ardentem zelum divinæ gloriæ et salutis animarum procurandæ.

Morbo corporis peritus medetur medicus: morbo animæ peritus medetur Confessarius: requisita peritia carens medicus, Vespillo est: ea destitutus Confessarius, animarum Nero. Strictissima ergo utriusque obligatio est, ut, antequam munus suum aggrediatur, debite sit instructus; non vero primum hoc munus exercendo necessariam notitiam, ac scientiam capiat; ne priusquam addiscatur, quod sciendum est, ab illo cœmeteria, ab hoc gehenna impleantur.

Malo huic obviaturus Confessarius, attente legat, quæ continentur in Rituali Romano de Sacramento Pœnitentiæ, et in Concilio Tridentino Sess. 14. de eodem Sacramento. Ante omnia satagat ex S. Scriptura, Ecclesiæ Regulis, Catechismo Romano, tum etiam ex Instructionibus S. Francisci Salesii ac Divi Caroli Borromæi ad Confessarios, tum demum ex probatis Autoribus tanquam (purioribus ac genuinis *Fontibus)* morum disciplinam, et divinam peccatis medendi artem assidua lectione et continua Oratione depromere.

Paragraphus II.

De illius præparatione proxima seu Precibus sacro Tribunali præmittendis et de harum utilitate.

Confessarius, ne suæ, et alienæ periculum salutis incurrat, accessurus ad Sacrum Tribunal, concepta magna in Deum fiducia, suæ

vero sapientiæ, et prudentiæ diffidens, lumen sancte dirigendi animas, auxiliumque difficultates sine offensione superandi, imploret hac vel simili prece:

Oratio

cum fructu ante audiendas Confessiones (si tempus suppetat) recitanda: paucis complectens, quæ a Confessario in hunc finem petenda, aut agenda sunt.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni cœlorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem non despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

℣ Sanctitas sua Pius Papa IX. (24. Mart. 1854) concessit indulgentiam 100 dierum, semel in die lucrandam, omnibus sacerdotibus, qui ante confessionem audiendam, corde saltem contrito, devote hanc orationem recitaverint.

Utilitas hujus vel illius, aut similis Orationis ex eo facile intelligitur, quod obligatione Con-

fessarii sic melius perpensa, dignitateque muneris obeundi luculentius cognita, quam maxime serviat ad Confessarii animum eo usque inflammandum, ut finem tanti Sacramenti tum condigne æstimet, tum pro viribus procuret, removeatque simul a se teporem illum, quo Confessariorum aliqui non raro muneri suo satisfactum sibi blandiuntur, si Pœnitentis confessionem, judicando inter lepram et lepram exceperint, pœnitentiam qualemcunque injunxerint, ac demum absolutionem impertiverint, in minimis curis reponentes, quomodo eidem Pœnitenti, sæpe sæpius magnopere indigo seu adhortatione, seu consilio, seu mediorum præscriptione opitulentur. Quo fit, ut judicis quidem fungantur officio; doctoris vero, et medici partes omnes cum deplorabili animarum damno intermittant. Cui sane oppositum eveniret, si prædicta aut simili methodo, tepore depulso, debite animum accenderent.

Paragraphus III.

De Habitu et Loco pro audiendis Confessionibus seligendo.

Ut cum omni decentia tantum administretur Sacramentum, monetur Confessarius, ut nulli confitenti aures præbeat, nisi superpelliceo et Stola violacei coloris (quantum fieri poterit) indutus; et quidem in Ecclesia; non autem in privatis ædibus, nisi ex causa gravi, uti surdorum, ægrorum, aliorumve, hyberno tempore e locis remotis advenientium, aut alia simili ratione tam ex parte Pœnitentis quam ex parte ipsius Con-

fessarii se tenente: quæ cum intervenerit, studeat tamen Confessarius rem omnem decenti, ac patenti loco præstare. *(Ita fere Rituale Romanum de Sacramento Pœnitentiæ.)*

Habeat itaque in Ecclesia sedem confessionalem, quæ conspicuo, aptoque loco posita, crate perforata inter Pœnitentem, et Sacerdotem sit instructa *(idem Rituale ibidem).*

CAPUT II.

Quæ Confessario observanda in decursu Confessionis?

Paragraphus I.

De ejusdem animi, et corporis dispositione dum actu excipit Confessiones.

Confessarius audiendo Pœnitentem ita interius, exteriusque sit compositus, ut nihil videatur in vultu, et gestibus, vel motibus corporis, neque ex voce sua quidquam notetur, quod non deceat virum maturum, eum præcipue, qui meminit se Dei locum tenere.

Unde in sacro tribunali jus dicturus Confessarius, sit, quantum in se erit, ut *Deus judex justus, fortis, et patiens (psal. 7. vers. 12.)* tolerando molestias, et fastidia, quæ non raro a Pœnitentibus afferuntur: secus ineptus erit huic ministerio, et suo carebit fructu; cum nullus unquam multum mellis ex alveari colligat, qui apium aculeos formidat. Signa igitur impatientiæ nunquam prodat assidendo forte cum nausea,

se jam huc, jam illuc torquendo, jubendo importune Pœnitentem abrumpere, interpellando etiam, cum res non postulat, etc. His enim facile absterritus Pœnitens movetur, ut Sacrilegio se obstringat; aut excusando, quod admissum; aut abrumpendo, quod addendum; vel etiam reticendo, quod adhuc fatendum fuit. De quo sane Confessario strictissima ratio reddenda manet.

Præsertim vero caveat, ne, dum Pœnitens enorme quid affert, ullum det signum admirationis, vel indignationis: nec illum increpet ante Confessionem, et Examen absolutum; sed potius quo graviora detexerit, eo suavius agat cum eo magisque animet, ut totum virus evomat, paceque fruatur. Quapropter signa manuum, vel pedum, aliosque motus, quibus circumstantes in suspicionem venire possent, aliquid singulare in Confessione referri, omnino intermittat. Notet ideo S. Bernardi sententiam dicentis: *non me terret hoc, et peccator, non horreo peccatorem.*

Considerate, ajebat Parochis suis S. Franciscus Sales., *quod vos Pœnitentes sub Confessionis initium omnes appellent* Patres: *proinde exhibete illis cor paternum: suscipite eos cum pietate, audite patienter; nullum vobis afferant fastidium mores agrestes, ignorantia, et inconstantia: nunquam ipsis subtrahite auxilium, qualescunque sint, aut quocumque vobis constent labore: animæ sunt sordidæ, negari non potest; (sed quemadmodum et Margaritæ immersæ luto) non idcirco minus pretiosæ; nam per manus vestras lotæ sunt in sanguine Agni*

innocentis: et desponsatæ Deo, olim accipient pro dote æternitatem, eruntque super sidera augustissimæ Reginæ.

Paragraphus II.

De Examine Pœnitentis, a Confessario ut Judice instituendo.

Meminerit Confessarius in hoc tribunali se non hominis, sed Dei *Judicium* exercere in animas pretioso Christi Sanguine redemptas. Itaque, *Justam* ut ferat sententiam, quam maxime curet, ut necessariam habeat causæ cognitionem, quæ haberi sane hic non potest, nisi *semetipsum* accuset reus.

Mox ergo monendus est Pœnitens, (si secus faciat) ut *Sua* ipse peccata secundum speciem, et numerum verecunde, et sincere confiteatur; *Aliena* autem delicta (quoad fieri poterit) non attingat; quia confessio est humilis *Sui* non aliorum accusatio. Eidem etiam inculcandum opportune est, ut impertinentia, quæ afferre, aut velut historiam, quam contexere videtur, omittat. Caveat quoque ipse Confessarius, ne loquendo de iis, quæ ad rem non faciunt, risui aliorum, et dicteriis Confessionem objiciat.

Dum vero Pœnitens, ut par est, conscientiam suam vel non aperit, vel non excussit, examinandus erit modo eidem accommodato, seu convenienter ad ejus ætatem, naturam, sexum, et negotia; attamen de illis tantum, quæ probabiliter ab eo videntur admissa; non tamen inquirendum est ejus nonem, aut domicilium, ac

multo minus nomen complicis, nec permittendum Pœnitenti, ut criminis sui complicem revelet, corrigendusque est, si ultro fecerit.

Confessarius autem in hoc examine nec curiosus sit, nec nimius; ne, aut sibi, aut Pœnitenti Sacramentum reddat odiosum (quod Christus certe cautum voluit) aut occasionem præbeat ruinæ spiritualis; præstat enim Confessarium aliquando minus perfecte peccata intelligere, quam se, vel Pœnitentem scandalo exponere.

In materia præsertim castitatis procedendum caute; ne forte Pœnitens doceatur, quod ignorat, et eum scire non convenit. Si neget cogitationes, non interrogetur de operibus, nisi forte videatur admodum rudis; ejusmodi enim, si interrogentur, fatebuntur opera; at non æque cogitationes, utpote quas sæpe non apprehendunt velut peccata, saltem nisi voluerint progredi ad opera. Hinc tales ordinarie examinandi sunt primum, de operibus, dein de verbis, demum de cogitationibus. Si Pœnitens cogitationes voluntarie habitas fateatur, interrogetur de consensu, colloquiis, aspectibus, tactibus: si hæc fateatur, interrogetur, an forte opus aliquod pejus admissum sit, vel saltem concupitum, aut voluisset admittere, nisi pudor aut metus retraxisset. Sunt enim rudes, qui, nisi ita interrogentur, tacent, sat esse rati, quod aliquid insinuando Confessario occasionem dederint interrogandi. Denique species, et numerus explorandus.

Ignorantia Rudium circa res illas, quæ creditu, scituve necessariæ sunt, tum necessitate medii, tum præcepti, frequentior est, ac passim

æstimari soleat. In ea detegenda, et dispellenda occupari debet solertia Confessarii, qui meminisse debet propositionum *64. et 65. Innoc. XI.* quibus dicitur, valide absolvi non potuisse, qui ignoraverit puncta creditu necessaria necessitate medii ad salutem.

Hinc si pœnitens deprehendatur, ea non scire, quæ ad salutem consequendam necessario scire tenetur, instruatur, quantum tempus permittet, ante Absolutionem, et ignorantiam ejus corripiat Confessarius, illumve admoneat, ut postmodum articulos nostræ fidei, et alia ad salutem scitu necessaria diligentius addiscat. Si vero id commode fieri non possit, suspendatur absolutio, usque dum necessaria fuerit imbutus scientia.

Non solum rudes, sed etiam alios quoscunque examinare debet Confessarius, qui, sicut *Patiens et justus*, ita et *Fortis* esse studebit in contemnendo respectu humano, dicendo, quæ oportet. Hinc non terreatur ullius Pœnitentis authoritate; sed ubi necessarium fuerit ad integritatem Confessionis, examinet etiam Magnates, exemplo Confessarii, qui audita Caroli V. Imperatoris Confessione dixit: *Confessus es peccata Caroli, jam confitere peccata Imperatoris:* Pœnitentes enim omnes in sacro hoc tribunali rei sunt: Confessarius Judex loco Dei: neque Christus aliam legem condidit pro Rusticis, et Plebeis, aliam pro Nobilibus, et Magnatibus, sed eadem voluit omnes teneri.

Paragraphus III.

De Interrogationibus aliis et Regulis in iisdem adhibendis.

Confessarius, si probabiliter judicet, Pœnitentem ex oblivione omittere peccatum quoddam mortale, tenetur eum interrogare, cum tanquam Judex curare debeat integritatem judicii; tanquam Medicus vero, ut morbi, et vulnera perfecte detegantur.

Inde etiam Rusticis aut rudioris ingenii hominibus, licet dicant, quod conscientiam probe discusserint; nihilominus proponendæ sunt quæstiones aliquæ circa peccata, in quæ id genus hominum communiter incidere solet, tum etiam circa peccata, quæ in discussione conscientiæ occulta sæpe remanent, uti sunt:

1⁰. Quæ ex culpabili ignorantia procedunt, qualis est, cum homo non ponderat obligationes sui status, non petit, vel non admittit (a quibus capere posset) consilium etc. Peccata ex tali ignorantia procedere solita, sunt majore ex parte peccata omissionis: uti omissio eorum, quæ scitu sunt necessaria v. g. ad debitum Sacramentorum usum, item omissio debiti conatus in extirpandis pravis consuetudinibus jurandi, blasphemandi etc.; quem conatum multi nihili, aut parvi faciunt, cum tamen ad illum graviter adstringantur.

2⁰. Occulta pariter manere solent peccata quæ ex culpabili inadvertentia procedunt, et proximi charitatem lædunt, cujus præcepta præcipue in his quatuor consistunt, videlicet in

dilectione inimicorum, in eleemosyna, in correctione fraterna, et in evitandis scandalis; contra quæ utinam non tot, quin plures peccarent! nec tamen de peccato se accusant.

3°. Sunt peccata varios status concernentia: sic in *Matrimonio* constituti non pauci peccant, incurii peccatorum, dum rem familiarem dilapidant, prolibus suis non provident, easdem vel negligentia sua, vel malo exemplo pessime educant, dum familiæ licentiam peccandi indulgent, ad peccata excitant, vel peccantes non corripiunt, famulis, et ancillis salarium justum denegant, etc. Sic quoque ex incuria peccant multi *Negotiatores;* dum merces corruptas fallaciter vendunt, excessivo pretio easdem distrahunt, malas bonis commiscent, et eodem, ac si puræ essent, pretio vendunt; dum pondere, et mensura iniqua utuntur, vel mentiuntur, et pejerant, se pretio levissimo merces vendere etc. Sic quoque peccant *Tutores, et Curatores,* inique ac in damnum pupillorum de eorum rebus disponendo, illorum personam negligendo, bona fraudulenter dissipando, aut in proprium suum commodum vertendo etc. *Advocati,* injustas causas scienter defendendo, vel easdem, ut plus solutionis obtineant, protrahendo etc. *Judices* non offerentium munera causas negligendo, processus supprimendo etc. Vigilem proinde circa hæc, et similia Confessarium esse oportet, ut, si quod ex iis in Pœnitente occultum remanere prudenter judicat, interrogando manifestari faciat.

Caveat igitur ne nimis deproperet confessiones eo fine, ut plures audiat. De quo prudenter

Gerson apud la Croix *l. 6. P. 2. n. 1719. Eligibilius est, paucos audire complete, quam multos imperfecte: mallem namque si Curatus essem, multorum confessiones differre, etiam post Pascha . . . quam, quod cæcus cæcos seducerem, dum pro vere absolutis, ipsi non recte absoluti se gererent.* Et S. Franciscus Xav. confitentibus non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat: ut Confessarii præoptarent confessiones paucas rite audire, quam multas temere deproperatas.

Si Confessarius de commissione peccati, quod Pœnitens negat, ex aliorum relatione, vel suspicione notitiam habeat, acquiescere debet Pœnitentis confessioni. In hoc tamen casu Confessarius probabit prudentiam, si primo caute et a longe, dein propius interroget: Pœnitente vero in negativis persistente prudenter judicet, quod vel confessus fuerit alteri, vel quod actus non existimetur mortaliter peccaminosus, sicque absolutione privari non debeat.

Notitia, quam Confessarius habet ex Confessione complicis, nullatenus utatur; poterit tamen generatim interrogare, an non quid aliud conscientiam gravet? si Pœnitens negative respondeat, eum absolvat; et esto, quod complex veniam dederit loquendi de peccato a se commisso; ea tamen uti non debet ob periculum scandali etc.

CAPUT III.

Quæ Confessarius post auditam Pœnitentis Confessionem observare debeat?

Paragraphus I.

De instructione, et admonitione Pœnitentis a Confessario ut Doctore adhibenda.

Sacerdos licet sit ut *Leo* dum e sacro suggestu persequitur vitia; ut *Agnum* tamen, dum pro sacro tribunali sedet, se exhibeat, oportet. Mansuetum igitur alloquium adhibeat semper: increpationem vero nunquam, nisi peccatis plene enarratis: et tunc demum sauciis vulneribus affundat oleum consolationis cum doctrina quapiam spirituali. Perpendens itaque peccatorum, quæ pœnitens admisit, magnitudinem, et multitudinem, pro eorum gravitate, ex Pœnitentis conditione opportunas correptiones, ac admonitiones, prout opus esse viderit, charitate paterna adhibere non omittat.

Quæ Pœnitens aut debet, aut utiliter saltem doceri et moneri potest, sunt plerumque ea, quæ faciunt ad deponendos errores, quibus nonnunquam laborant; item obligationes, quas forte contraxerunt v. g. restituendi famam, compensandi damnum, corrigendi proximum etc.

Si Confessarius notet aliquid haberi a Pœnitente pro peccato, quod peccatum non est (ut sæpe fit circa preces a variis Confraternitatibus impositas), aut aliquid haberi pro mortali quod mortale non est, doceat eum veritatem, ne pergat

peccare ex conscientia erronea; et si Pœnitens ipse Confessarium interroget de re aliqua, circa quam illum inquietat conscientia, aperienda est illi veritas, in quantum necesse videtur, et fructus exinde sperari prudenter potest.

In Materia *Restitutionis* nec ad rigorem nimium, nec ad laxitatem propendeat Confessarius; nulli temere injungat restitutionem, ubi fors non est necessaria. Hinc si de hac obligatione merito dubitet, caveat, ne quid præcipitet; sed rem maturius expendat, libros consulat, vel alios se doctiores; idem facere oportebit, quoties a Pœnitente consultus certi aliquid non habet, quod respondeat. Sciat tamen, quod, si ex malitia, vel humano respectu Pœnitenti det Consilium rem alienam retinendi, aut scienter omittat (dum ad id se teneri agnoscit) Pœnitentem ignorantem monere de obligatione restituendi; ipsemet Confessarius per se loquendo ad restitutionem teneatur juxta communem probatorum Autorum doctrinam.

Notet præterea a Sede Apostolica damnatam esse hanc propositionem: *Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam, quam majorem judicant salario suo, quod recipiunt. (Innoc. XI. prop. 37. Anno 1679. 2. Martii.)*

Excitandi denique sunt Pœnitentes ad agendam vitam Christianam, quisque apposite ad suam capacitatem, et dispositionem. Convenit adhortari omnes, ut ante omnia pugnent contra peccatum suum maxime scandalosum, periculosum, radicemque aliorum; seu in quod frequentior

est lapsus; quod magis officit profectui, magis animam inquietat, etc. *(De remediis suggerendis, et vitiis particularibus corrigendis agetur in parte 2. et 3.)*

Utile etiam quandoque erit Pœnitentes monere, ut operibus suis mane potissimum præfigant rectam Deo placendi intentionem, hanc per diem aliquoties renovent, præsertim ante actiones nobiliores, et graviores: vel eorum vita conferri nonnunquam poterit cum vita *Christi*. quem illis tanquam exemplar proponent in actionibus suis, in prosperis, et adversis. Juvabit quoque ex vita *Sancti*, cujus Festum colitur, aliquid desumere, quod imitandum Pœnitentibus proponatur. Unde necessarium omnino est, ut Confessarius lectioni Librorum Spiritualium, et meditationi rerum Cœlestium diligenter studeat.

Admonitio talis sit plerumque, ut non potius reprehensio videatur; maxime si Pœnitentes sint Seniores, aut alicujus Authoritatis, aut timidiores, vel pusillanimes, vel genii exulcerati. Hi enim vel abjicient facile animum, aut exasperabuntur et reprehensionem vix sine impatientia, et contemptu excipient. Hinc Confessarius in reprehensionibus sit potius parcus, quam prolixus; benignus magis, quam severus. Gravior tamen quandoque potest, aut debet adhiberi admonitio illis, qui sunt naturæ durioris, parum de salute solliciti, præsertim si benigna admonitio fructum non habuit: modo fiat post exposita peccata, sitque talis, ut Pœnitens intelligat, quod procedat ex amore suæ salutis.

Paragraphus II.

De dispositione Pœnitentis ad dolorem, et propositum eliciendum procuranda.

In hoc potissimam collocet operam Confessarius, ut in suis Pœnitentibus, excitet veram peccatorum detestationem, et efficax emendationis propositum. Neque sibi persuadeat, expletos fore Officii sui numeros, si de dolore, proposito, et mediis emendationis qualitercumque, ac obiter sollicitus plurimum fatigetur in perscrutanda peccatoris conscientia; hujusmodi enim Confessarii videntur scopis mundare domum, ut spiritus immundus cum suis septem satellitibus reversus illam mundatam inveniat.

Etsi plerique Pœnitentes, maxime pueri, rudes, et magni peccatores excitandi sint a Confessario ad dolorem supernaturalem, seriumque propositum; attamen quando adsunt signa eorum sufficientia, ad id non tenentur Confessarii. Sic de adultis, qui apparent bene instructi ordinarie præsumi potest, quod sint bene dispositi; dolorisque signum est ipsa seria peccatorum Confessio: quamvis non inutile foret, eosdem, quandoque excitare ut dolorem renovent.

Pueros præsertim, et rudiores interrogare expedit, num, antequam ingressi sint confessionale, dolorem, et propositum elicuerint: quia quidam, ut experientia docet, interrogati respondent, sed id esse oblitos, aut putasse, satis esse, si in Confessionali elicerent: quod etsi verum sit, vix tamen fiet, ut dolorem, et propositum sincerum statim concipiant. Unde monendi sunt,

ut utrumque statim, ante absolutionem eliciant; et quidem non solum labiis, sed ex toto corde; sæpius enim fit, ut ejusmodi homines verba contritionis recitent (sicut ea memoriter didicere) sine interno sincero dolore, serioque proposito. Si Pœnitens dicat, se ante confessionem jam elicuisse contritionem, potest Confessarius acquiescere, nisi aliud circumstantiæ suadeant; potest quoque jubere, ut repetat dolorem pro parte Pœnitentiæ.

Motiva doloris proponenda sunt Pœnitentibus accommodata magis cujusvis capacitati; non enim omnes iisdem æque moventur. Proinde diversa in promptu habere debet Confessarius. Sunt autem motiva hæc:

1°. Jactura gratiæ Dei, et vitæ æternæ, aut si peccatum est veniale, retardatio a beatitudine, demeritumve majoris gratiæ, et hinc consequens periculum labendi graviter.

2°. Pœna inferni, aut Purgatorii gravissima. quibus velut Judex justissimus Deus punit peccata, et mortale quidem pœnis æternis etc.

3°. Est turpitudo peccati sita in eo. 1°. Quod peccatum præsertim grave summa sit creaturæ in Deum suum, ac Benefactorem unicum ingratitudo. 2°. Grandis in Patrem amantissimum impietas, et rebellio. 3°. Enormis in supremum Dominum irreverentia, et inobedientia. 4°. Vilipensio, et contemptus Dei; quia negligitur, et vilissimæ creaturæ postponitur. 5°. Injuria Dei sane maxima; quia abusus rerum Dei Domini contra voluntatem ejus. 6°. Dehonoratio Dei, negans supremæ Majestati cultum, et subjectio-

nem debitam. 7°. Recessus ab amabili Salvatore, et accessus ad diabolum hostem ejus infensissimum etc. Crescit autem turpitudo illa ex eo, quod peccatum fiat in conspectu Dei, fiat eo tempore, quo Deus tanta benignitate peccatorem conservat, fovet, beneficiis circumdat, etc. Quod peccans concursum Dei detorqueat in ejus contemptum, suamque perditionem, et Deum faciat servire in peccatis suis. Quod Christo, qui tanto pretio redemit animam ejus sit opprobrio exultante quodammodo diabolo: Ipsum tam parvi pendi ab iis quos annumeravit Ecclesiæ suæ, et membra esse voluit corporis sui mystici. Atque hæc turpitudo, ut abominabilis est Deo, ita abominabilem, quem inficit, reddit peccatorem.

4°. Motivum sunt Beneficia Dei, ut sunt, creatio seu translatio ad esse de nihilo, in quo tot alii relicti sunt, et æternum relinquentur; conservatio, seu omni momento continuata productio, qua cessante in nihilum relaberetur homo. Redemptio per Sanguinem, et mortem Christi; collatio baptismi; educatio a catholicis Parentibus, cujus defectu innumeri pereunt; toties repetita peccatorum remissio, et ad Mensam Eucharisticam admissio; atque innumera alia beneficia, quibus Deus hominem ita circumcinxit, ut quoquo respiciat, in oculos incurrant mera Dei beneficia. Juvat etiam quandoque recensere ea bona, quæ Pœnitenti in particulari facta sunt, sicut Nathan Propheta recensuit Davidi lapso in peccatum. 2. Reg. c. 12. Porro beneficia Dei augentur ex infinita conferentis dignitate, ex amore infinito, quo conferuntur; ex in-

dignitate creaturæ, cui conferuntur, et ex magnitudine donorum: ac ex iisdem capitibus crescit erga Deum peccantis ingratitudo.

5°. Motivum est Deus ipse propter se dignissimus non offendi, dignissimus omni cultu, honore, et amore, cujus vilipensio, ac contemptus malum unicum est peccatum; malum eo gravius, quo major est dignitas offensi. Cujus proinde gravitas, etsi humanum excedens intellectum, ut magis appareat, expendatur serio, quis offendatur, a quo, propter quid, quibus auxiliis, ubi, quando? quid pro ejus satisfactione Pater æternus a suo Filio incarnato (qui peccatum non fecerat, sed nostra suscepit destruenda) exegerit. Hic præsertim bene inculcetur, quæ, quanta, et cur passus sit Christus? Demum quas pœnas in hoc, et futuro sæculo impœnitentibus infligat Deus, cujus natura bonitas ipsa est.

Ex his motivis id primum Confessarius proponat, quod Pœnitentis capacitati, et dispositioni magis videtur congruere, alii enim timore, alii amore magis ducuntur etc.

Notandum autem necesse est, ut dolorem præcedat fides saltem virtualis, et spes; quia nemo actu supernaturali de peccatis dolere potest, nisi credat Deum peccatis offendi, esseque vindicem malorum, ac remuneratorem bonorum, speretve veniam etc.

Paragraphus III.

De satisfactione Pœnitenti injungenda.

Certum est, quod Confessarius teneatur peccatis proportionatam Pœnitenti absolvendo

satisfactionem imponere; quia ad illum velut Judicem pertinet procurare parti læsæ debitam satisfactionem: et ut Minister Sacramenti debet ejus integritati consulere. De hac obligatione *Trident. (Sessione 14. cap. 8.)* loquens ait: *debent autem Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et Pœnitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere, ne forte, si peccatis conniveant, et indulgentius cum Pœnitentibus agant, lævissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur; habeant autem præ occulis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, ac infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam.* Hactenus Trident. At difficultas superest, quæ sit huic, illive Pœnitenti, his, illisve peccatis proportionata. Pro qua difficultate minuenda, tria spectare debet Confessarius satisfactionem impositurus: attendat 1. ad qualitatem peccatorum, non, ut iis æqualem, sed proportionatam, convenientem, et non nimis levem injungat. 2. Ad conditionem, facultates, et vires Pœnitentis, ne nimis gravem, et facile omittendam, adeoque inconvenientem imponat. 3. Ad qualitatem operis, ut satisfactio sit *Vindicativa,* seu discrete afflictiva, et efficaciter correctiva vitæ prioris; simulque *Medicinalis,* et præservativa a relapsu; et quamvis spectanda sit qualitas criminum, magis tamen attendenda est natura, conditio, et utilitas Pœnitentis.

Pro satisfactione imponi possunt: 1. Opera quævis pœnalia, ut jejunium, abstinentia a certo cibo, vel potu, et quævis carnis mortificatio. 2. Oratio, et quivis cultus Dei. 3. Eleemosyna, et quivis actus proximo salutaris: Orationes etiam, aliaque pia opera pro defunctis obeunda. 4. Actus mere interni Fidei, Spei, et charitatis: meditatio de morte, inferno, Judicio etc. 5. Cum valde salutares sint pœnitentiæ peccatis directe oppositæ, divitibus avaris, et injustis utiliter injunguntur eleemosynæ; vitio carnis obnoxiis, gulæ aut ebrietati, certæ corporis afflictiones; invidis, iracundis, odio proximi laborantibus, opera charitatis erga proximum a quo est aversio, v. g. ut pro eo orent, honore eum præveniant etc.; contraria enim contrariis curantur; estque generale, et utile remedium adversus omne peccatum, ut in materia, in qua quis commisit illicita, abstineat etiam a licitis saltem ad tempus. 6. Qui non, vel vix tempus habent orandi, aut aliunde tenentur ad multam Orationem, iis non imponantur preces longiores, sed pauca potius opera cum fervore, et statu gratiæ facienda; his enim juvantur magis, quam multis tepide, et in statu peccati peractis.

Unde talibus parvæ potius, sed efficaces pœnitentiæ injungendæ sunt, v. g. ut frequenter, et certis festis confiteantur, quotidie legant libellum pium, aut meditentur (si capaces sunt) de certa materia, qua magis afficiuntur, aut terrentur ut de Passione Domini, vel de morte etc.; vel ut usque ad proximam confessionem mane proponant cavere illo die certum peccatum in honorem

SS. Trinitats, Crucifixi Domini, Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis etc. prout ipsis dictabit pietas. Juvabit præterea, si quandoque imponatur pœnitentia conditionata v. g. si in peccatum istud reincidas, dabis eleemosynam, die dominico mox sequente confiteberis etc.; quæ spirituales medicinæ subinde non per modum præcepti, sed solius consilii præscribendæ sunt prout in Domino magis expedire judicabitur. Semper enim Confessarius procedere debet pro qualitate, et capacitate Pœnitentis, cavens, ne remedium sit nimis facile, et sic non retrahat a peccato; nec nimis difficile, et sic penitus omittatur; nec publicum, et sic sigillum confessionis frangatur.

Si pœnitens redeat, egeatque nova absolutione, nova injungenda est Pœnitentia, nisi forte prior videretur sufficiens. Si vero petat, sibi imponi aliam loco injunctæ ab alio Confessario, illi annuendum non est, nisi status antecedens illius ex Confessione saltem confuse cognoscatur; quia Judex nequit judicare incognita causa, et sicut potestatem habet, circa Pœnitentiæ impletionem, ita etiam habet circa illius mutationem, quando consultum id fieri judicaverit; dummodo fiat in ipsa Confessione. Juvat quandoque talem nonnunquam imponere pœnitentiam, quæ per plures dies v. g. unam, aut alteram hebdomadam (non tamen facile ultra mensem) duret, ut peccata non dentur oblivioni, mala consuetudo aboleatur, et studium eam extirpandi nutriatur.

In dubio de sufficienti pœnitentia, inclinandum est in partem benigniorem, præsertim si

timeatur, Pœnitentem graviorem pœnitentiam omissurum, aut a Sacramento Pœnitentiæ avertendum, vel aditurum Confessarios minus idoneos, aut ruiturum in desperationem: quibus in casibus tutius est, inquit Gerson *(citatus a Layman C. 15. n. 11.)* pœnitentem cum parva pœnitentia implenda permittere Purgatorio, quam cum magna, vel omittenda vel dimidiate, aut perfunctorie implenda mittere in Infernum. Et Autor *Operis imperfect.* melius est, inquit: propter misericordiam Deo rationem reddere, quam propter crudelitatem.

Paragraphus IV.

De absolutione Pœnitenti danda, neganda, vel differenda.

Confessarius tenetur (per se loquendo), absolvere Pœnitentem rite confessum, et dispositum; uti et in dubio de dispositione, si prudenter possit se resolvere in favorem Pœnitentis; quia hic per confessionem acquisivit jus ad absolutionem; neque in dubio, quod in Pœnitentis favorem prudenter resolvi potest, illa privandus est, cum ejus possessionem fundet confessio rite peracta: hac enim lege confessus est Pœnitens, ut absolveretur, nisi constaret eum esse indispositum; dictum fuit *per se loquendo,* quia causæ quandoque esse possunt differendi absolutionem, ut mox dicetur.

Ubi rationabile dubium non est de requisitis ad absolutionem, absolvendus est Pœnitens *absolute;* quia tunc ad id jus habet; sub *conditione*

vero (de præsenti tantum vel præterita) absolvi debet, si dubium sit, quod non potest facile resolvi, adsitque necessitas, vel magna Pœnitentis utilitas; quia sic consulitur Reverentiæ Sacramenti, et saluti Pœnitentis. Absolutio autem sub conditione de futuro v. g. *ego te absolvo, si intra triduum aliena restitueris,* nunquam dari potest; quia Sacramenti effectus non potest suspendi.

Si Pœnitens paulo ante absolutus afferat novum peccatum mortale ex oblivione prius omissum, renovato, si cessaverit, dolore, iterum absolvendus est; si mortale dubium foret, jubeatur denuo se accusare in communi de ante dictis, aut addere de novo veniali certum, nisi tamen mortale dubium certo fuisset veniale. Si autem afferret tantum venialia, tunc sine nova absolutione dimitti potest. Hoc vero in iterata illa absolutione observandum, ut Confessarius non absolvat elevata manu, et palam formata cruce, sed clam ad Pœnitenten inclinatus, ne si adstantes advertant iterum dari absolutionem, suspicentur reum fuisse peccati mortalis. Aliud foret, si præsentes nunc omnes alii essent, ab iis, qui antea adfuerant, aut solus Pœnitens.

Quod expediat imo necessarium omnino sit negare, aut differre nonnunquam absolutionis beneficium vel ex eo patet, quod ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non sufficiat in Sacerdote Potestas, sed insuper dispositio in Pœnitente requiratur. Inde fit, ut absolutio, seu pax ejusmodi falsa, ac irrita, si indispositis detur, aut nimis præceps fuerit; periculosa dantibus, recipientibus vero nihil profutura inveniatur, nisi

ut Pœnitentes ob nimiam et perversam absolvendi facilitatem, suis in sordibus sine remorsu conscientiæ indormire, ac paulatim insurdescere assuescant; nam ut Tridentinum loquitur: *facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti; nec esset tanta facilitas peccandi, ait Belarminus, si non esset tanta facilitas absolvendi. Ex quo fit, plurimos in iisdem peccatis diu immorari stupenda animarum suarum ruina. Quid enim,* amare conqueritur Magnus ille Episcopus Thomas de Villa Nova: *quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum, et Pastorum blandiens adulatio? . . . Humanum est peccare, inquiunt, quis est homo, qui non peccat? facilis est venia, confessus es, absolutus es, sufficit . . . Sic vulnera leniunt, vermem conscientiæ extinguunt, et securos peccatores ad inferna dimittunt. Medice! cur fœtentem absolvis, cur indigno veniam promittis? cur, cui beneficium absolutionis exhibeas, non discernis? Duas tibi claves Dominus dedit: unam discernendi, alteram judicandi: Et tu sine discretionis examine nullum ligas? omnes absolvis? una tantum clave uteris, neque integra quidem!*

Hoc malum evitabit Confessarius, si serio perpendat, non hominis, sed Dei judicium se exercere, non ad solvendum duntaxat, sed etiam ad ligandum claves se accepisse; atque ita se constanter gerat, ut nullius metu, aut gratia, triplici suo officio Judicis, Doctoris, ac Medici unquam desit; rite dispositis beneficium absolutionis impendat, ceteris differat, quousque prudens judicium de legitima eorum dispositione

consecutus sit: nullum tamen a se dimittat, nisi paternis monitis, ac salutaribus consiliis ad peccatorum odium, ac detestationem, atque ad Dei dilectionem tanquam omnis justitiæ fontem excitaverit.

Hos autem præcipue (ex mente et doctrina S. Caroli Borromæi in instructionibus ad Confessarios, Actor. Mediol. Ecclesiæ parte 4.) hos, inquam, judicare debet ad absolutionis beneficium nondum rite dispositos, 1°. qui ignorant præcipua fidei nostræ Mysteria; 2°. qui sunt in proxima peccandi occasione, nisi eam, dum possunt, sincere velint deserere; 3°. qui inimicitias animo fovent, quique inimicis suis parcere, et reconciliari renuunt; 4°. qui non sunt parati pecunias, famam, aut alia proximi bona, quæ injuste retinent, restituere; aut qui sæpius moniti promissam restitutionem facere, negligunt; 5°. qui in eadem flagitia sine ulla emendationis spe frequenter relabuntur; 6°. qui nulla ostendunt veri, et sufficientis doloris signa; 7°. qui publicum scandalum dederunt, nisi illud congrua satisfactione sustulerint; 8°. denique nec absolvendi sunt, quorum peccata sunt superioribus reservata. *(Vide Rituale Romanum de Sacramento Pœnitentiæ.)*

His, et similibus, dum recusatur, aut differtur absolutio, ita suaviter recusetur, aut differatur, ut advertant id fieri a Confessario ex amore propriæ, et eorundem salutis. Tales excitandi sunt, ut frequenter actus charitatis, et contritionis conentur elicere, ut ita acquirant majores vires contra tentationes, sicque postea melius

dispositi ampliores gratias a Deo accipiant; promittatque Confessarius se pro eis oraturum, etc.

Ceterum non parum proderit si Confessarius ejusmodi peccatores jubeat, malum suum statum, et periculum, in quo versantur, sedulo perpendere; aut aliquam veritatem sæpius ponderare v. g. *quid prodest homini, si mundum etc. (Matth. 16.). Vanitas vanitatum etc. Statutum est omnibus hominibus semel mori: et post hoc judicium.* Inde S. Aug. hac æterna veritate perterritus exclamat: *O mi bone Jesu! forte cras moriturus sum, et qua fiducia moriens te videbo?* Denique serio expendant, quæ sententia, quæ pœna post mortem expectanda malis? Ejusmodi enim meditationes utiles admodum esse ad emendationem male anteactæ vitæ procurandam, sæpe jam docuit experientia, et varia monstrarunt exempla pœnitentium vere conversorum.

Paragraphus V.

De aliis Confessario notandis relicto sacro Tribunali.

Post auditas confessiones, Pœnitentibusque vel absolutis, vel dimissis, vel tantisper suspensis, tria sunt Confessario diligenter notanda.

Primum est, ut expendat (sicut suasit S. Franciscus Xaverius) quomodo munere suo sit functus; quomodo cum his, vel illis Pœnitentibus processerit; quomodo instruxerit, aut examinaverit; quomodo ad dolorem, et propositum excitaverit; quomodo dubia resolverit, et quomodo melius agere potuisset, et deinceps possit. Si

dubitet de sua resolutione, vel judicio circa peccatum, consulat libros, aut alios viros doctos, et expertos; sic enim fiet, ut quoscumque defectus, qui in confessione quandoque intercurrunt, facilius imposterum, et exactius corrigat Confessarius, magnoque cum fructu officio suo semper fungatur.

Alterum est, ut quos audivit ardenti Oratione Deo commendet, ad hoc ut seria sit, stabilisque eorum conversio; veniam præterea pro se petat, si quid forte in tam sacro ministerio neglexerit, vel erraverit. Denique ut non abjiciat animum, nec desperet de emendatione pœnitentis; si enim medicus desperet, quid ægrotus faciet? Si dux pugnæ fugit, quid miles aget? *Certe in rerum natura,* teste S. Basilio *(Reg. 10. fus.)*: *nihil est, quod non diligentia corrigatur; neque vitium ullum adeo grave, quod non Dei timore pervincatur. Et forte,* ut sapienter advertit S. Chrysost. *(hom. 41. in Genes.) si hodie verbis tuis non obtemperet, postea obtemperabit; et si neque secundo, et tertio admonenti obtemperabit, iterum tamen te videns urgentem, forte erubescet, et reveritus tuam curam, ab his, quæ offendunt, desistet. Non videtis quanta Deus longanimitate nos tolerat, et quomodo quotidie negligimus obtemperare mandatis ejus, et neque sic cessat a cura nostra; simili modo, et nos erga Fratres nostros bene affecti magnam adhibeamus diligentiam, et reluctemur maligno illi dæmoni, ut irritos faciamus ejus conatus.*

Caveat itaque diligenter, ne aut labore in curatione suscepto defatigatum se ostendat, aut

certum Divinæ misericordiæ, justitiæve tempus præscribat; ne, sicut in hoc Presbyteros Bethuliæ imitaretur, dicentes: *quinque dies exspectemus a Domino misericordiam; si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, trademus Civitatem:* ita, et audiat cum iisdem: *posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius, qui iram excitet. (Judith. 8.)* Potius ergo Cultorem vineæ imitetur, qui, cum Dominus vineæ ficulneam sterilem reperiens, succidi jussisset, dixit ad illum: *Dimitte illam, et hoc anno usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora, et si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* Nec turbetur Confessarius, si, multis licet adhibitis remediis, parum, aut nihil omnino se profecisse advertat; *quandoquidem, et aquarum venæ,* ut ait S. Chrysost. (Conc. 1. de Lazaro) *etsi nullus veniat aquatum, manant tamen; et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt: et omnes, etsi nemo bibat, nihilominus secius fluunt: sic oportet et illum, qui concionatur,* (aut alio modo hortatur) *quamvis nullus auscultet, tamen præstare quidquid in ipso situm est.* Denique apposite ad rem nostram S. Bern. (L. 4. de compunct. c. 7.) *Noli diffidere,* inquit; *cura exigitur non curatio . . . ita quæso et tu fac, quod tuum est; nam Deus, quod suum est, faciet . . . planta, riga, fer curam, et tuas explevisti partes; sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil, dicente scriptura:*

(Sap. 10.) Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum; securus labor, quem nullus valet evacuare defectus.

Tertium est, scientia, ex sola confessione habita extra tribunal illud, nunquam utatur; nec unquam temere, de rebus auditis in Confessionali loquatur cum aliis, aut ipso Pœnitente (nisi ipse Pœnitens id exigat) ne quidem *universe,* nisi petendi consilii necessitas aliter urgeat; quo etiam casu non nisi *generatim* quærere oportebit: *quid agendum foret, si hujusmodi casus accideret?* idque ob periculum violandi sigillum; vel etiam, quia cedit ordinarie in gravamen pœnitentis, aut saltem odiosum reddere potest Pœnitentiæ Sacramentum. Conetur itaque oblivisci omnium rerum in Confessione auditarum, et surdis auribus recurrentes species pertransilire.

Ad hoc proderit sæpius illa sigilla (seu titulos, quibus ad secretum servandum obligatur) perpendere; nempe sigillum, seu titulum præcepti naturalis, quo quisque obligatur ad ea reticenda, quæ ab altero sub secreto manifestata sunt. Titulum præcepti Divini, quod Christus Dominus noster proposuit, cum Sacramentum hoc instituit, ut tuto Pœnitentes confiteri, et bonum spirituale absque temporalis boni jactura accipere possent. Titulum præcepti Ecclesiastici, gravissimas pœnas depositionis ab officio, et reclusionis perpetuæ in monasterio transgressoribus decernentis, ut *(in cap. Sacerdos de Pœnit.)* videre est. Titulum Religionis, ad reverentiam Sacramento Pœnitentiæ exhibendam, et conservandam impellentis; ratione cujus tituli omnis

violatio sigilli sacramentalis est horrendum sacrilegium. Titulum charitatis, quæ jubet omne scandalum proximi vitari; quale utique foret, si ipse per revelationem peccatorum in confessione explicatorum a Sacramenti hujus usu averteretur. Titulum denique fidelitatis, quam tum erga Deum velut illius Minister in hoc Sacramento legitime administrando exhibere tenetur, tum etiam proximo præstare, secretum sibi ab eo commissum fideliter custodiendo. His enim singulis Sigillis omnia peccata in confessione audita claudi, et obsignari oportet.

PARS SECUNDA.

De iis, quæ Confessario sunt observanda tum in genere, circa peccata magis obvia, tum in specie circa Personas ætate, sexu, vel statu diversas.

CAPUT I.

Quæ Confessario, ut Medico in confessione observanda circa peccata magis obvia, et de remediis contra illa suggerendis.

Paragraphus I.

De generalibus vitiorum remediis.

Confessarius Divinæ *justitiæ* simul et *Misericordiæ* Minister a Deo est constitutus, ut tanquam arbiter inter Deum, et homines honori Divino, et proximi saluti consulat. Sit igitur non solum *Judex*, sed etiam *Medicus:* nimirum non modo destruat, ac deleat culpas præteritas, sed et futuras pro viribus impediat.

Ad hoc sit Medicus: 1°. *Probus*, nullius gravioris noxæ reus, quam prius per confessionem, aut saltem (dum occasio confitendi deest) per contritionem non sanet. 2°. *Prudens*, qui discrete, et caute vinum, et oleum vulneribus sau-

ciati infundat, confracta alliget, infirma consolidet. 3°. *Benevolus,* ardentem sitim habens salutis animarum, quas vere amet juxta omnem dimensionem.

Unde qua *Medicus* perspectas habere debet origines, causasque vitiorum, et providere, ut per opportuna remedia peccatorum radices amputentur, pravi habitus extirpentur, et adversus relapsum pœnitentes sedulo muniantur. Quocirca tum generalia, tum specialia singulorum peccatorum remedia in promptu habeat, necesse est, ut eadem, ubi opus fuerit, convenienter applicare sciat.

Generalia vitiorum, delictorumque remedia sunt: 1°. *Oratio, et Meditatio,* ea præsertim, quæ occupatur circa Passionem, Mortemque Domini, vel circa quatuor hominis novissima. 2°. *Jejunium,* abstinentia a certa quantitate, vel qualitate cibi, aut potus, aliæque corporis afflictiones. 3°. *Opera misericordiæ* tum corporalia, tum spiritualia. 4°. *Renovatio* propositi circa sui emendationem, mane aut vespere facienda in Templo vel domi coram imagine crucifixi, etc. 5°. *Memoria præsentiæ Dei,* ad pulsum horologii, vel sæpius per diem excitanda, Deum adorando, laudando, amando, pro beneficiis gratias agendo, in eum filiali fiducia sperando. 6°. Frequens, ac legitimus *Sacramentorum usus.* 7°. Denique, sollicita *occasionum fuga,* et animi recollectio, seu secessus e tumultuariis sæculi curis, variisque sensuum oblectamentis, et voluptatibus. Quæ remedia (præsertim quatuor posteriora) cum universalia sint et præsentissima adversus omne

vitium, præcipue carnis, ut experientia docet, non abs re esset, si Confessarius peccatoribus pro pœnitentia injungeret, ut per certum tempus, uno vel altero medio diligenter, et cum fervore utantur, e. g. ut quotidie genuflexi proponant sibi in honorem Christi Patientis, Deiparæ, aut alterius sancti abstinere per totam diem a peccato, ad quod maxime propendent etc. ut dictum est *P. I. cap. III. §. III.*

Quamvis autem in spiritu mansuetudinis, et lenitatis oporteat Pœnitentes ad vitæ emendationem inducere, iis tamen excusationibus, quibus nonnulli tepidiores recusant pœnitentias congruas acceptare, nimis facile condescendi non debet. Etenim *Regnum Cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. (Matth. 11. ℣. 12.)* Quare operæ pretium erit, ejusmodi Pœnitentibus interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constitutæ sint; ut ipsimet scelerum suorum gravitatem, et injunctæ sibi pœnitentiæ, quam nimis arduam putant, levitatem metiantur, et agnoscant.

Paragraphus II.

De specialibus vitiorum remediis.

Peccata magis obvia sunt peccata capitalia, et quæ ex iis, velut capitibus ordinarie consequuntur. Singulis ejusmodi vitiis specialiter mederi potest prudens Confessarius.

Inter specialia remedia primum merito locum obtinet *contraria* cuique vitio *virtus.* Ut enim clavus clavo pellitur, et contraria contariis a

peritis Medicis recte curantur, ita id ipsum non minus in vitiis curandis fieri quotidiana ostendit experientia. Hinc saluberrimum erit, si pro praxi, et imitatione continua proponatur *Superbis* humilitas cordis, oris, et operis; recogitando sæpius: quid fui? quid sum? quid ero? *Avaris* liberalitas in pauperes, et beneficentia in proximum; perpendendo, quod sola merita exinde colligenda sint veræ divitiæ pro æternitate; reliquæ omnes vanæ, et perituræ: *Luxuriosis* continentia et puritas; vitando sollicite pericula, occasiones, et quæcumque ad peccatum hac in materia possunt allicere: *Invidis* charitas et amor proximi; considerando, eum fratrem esse, pro cujus bono etiam orandum, aut de eo gaudendum, cum illud nobis sic fiat commune, sicque thesaurum meritorum in Cœlis mereamur: *Gulosis, et ebriosis* temperantia in cibo et potu: continendo semper in plena potestate appetitum, et fugiendo omnem hac in parte excessum: *Iracundis* mansuetudo et clementia; ferendo patienter, et humiliter infirmitates aliorum, reddendo etiam pro malo bonum: demum *Acediæ* deditis fervor in servitio Divino: in memoriam revocando, quam exiguus, quam brevis labor exigatur pro immensa et æterna mercede, quæ servo fideli promittitur.

Secundum medium est, *cujusque vitii fœditatem, et malitiam,* ex illius proprietatibus, et effectibus ostendere; ut si ostendatur, e. g. *Superbo,* quam indignum et absurdum sit, se extollere ob dona, quæ non sunt propria, sed mutuata tantum a Deo omnium donorum largitore: *Avaro,* eum congregare divitias in loco, ubi

diu non est mansurus; negligere autem opes, quas secum accipere, iisque æternum frui posset: *Luxurioso,* quam turpe sit ad terrena, et bestias abjici, cum porcis volutari in luto voluptatum carnalium, et siliquis eorundem pasci: *Invido,* eum tortorem esse sui ipsius sine ullo fructu, imo cum maximo damno, quin ipsi Diabolo similem fieri: *guloso,* quam vilia sint, quæ appetit eum voluptati cum bestiis communi servire; quin has nec fustibus adigi posse ad plus sumendum, quam natura postulat: *ebrioso,* se ipsum in bestiam irrationalem convertere, seque periculo temporalis, ac æternæ mortis, non minus, ac sanitatis corporis exponere: *iracundo,* eum tantopere irasci proximo ob levissimam injuriam, cum interea ipse gravissimas committat, et tamen sibi parci, omniaque dissimulari petat a Deo: denique *acediæ* dedito ostendatur, illum omni confusione dignum, si nec modicum laborem pro felicitate sua velit impendere, cum tamen adeo se fatiget pro mundo, et vanis ejusdem bonis.

Tertium medium est, *Christi tormenta,* quæ per quodlibet vitium procurata sunt, consideranda objicere; si, v. g. ostendatur per *superbiam* spineam coronam Christo impositam fuisse; per *Avaritiam* venditum; per *Luxuriam* flagellatum; per *Invidiam* accusatum; per *Iram* damnatum; per *Gulam* acetum, et calicem in monte Oliveti et Calvariæ propinatum; per *Acediam* crucem impositam. Si ergo irascimur Judæ Christum vendenti, Judæis accusantibus, Pilato damnanti, militibus flagellantibus, et crucifigentibus; an non multo magis sibi ipsi irasci, et indignari

debet peccator, atque a semetipso pœnas petere, aut certe deinceps a tam crudeli ausu abstinere?

Quartum denique medium est, *Exempla particularia* pœnarum, et damnorum, quæ ex quovis vitio secuta sunt, proponere; si, v. g. *Superbis* proponantur pœnæ, quibus Deus superbos castigavit, præcipue Luciferum, Pharaonem, Nabuchodonosorem, Aman, Holofernem etc. tum etiam genus furti, quod committunt, exponatur; furantur enim Deo rem pretiosissimam, quam soli sibi reservavit, dum dixit: *(Isa. 48. 11.) Gloriam meam alteri non dabo*; ponderanda illis etiam dentur pericula, et damna superbiæ; *initium*, teste Eccl. (10. 15.) *omnis peccati est superbia, qui tenuerit eam implebitur maledictis. Videbam*, ait Christus ipse *(Luc. 10. 18.), Satanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem.* Hortandi erunt, ut Christum crucifixum semper ob oculos habeant, et quasi dicentem audiant; *discite a me, quia mitis sum, et humilis corde (Matth. 11. 29. etc.).* Indaget dein Confessarius in causas superbiæ, et ostendat quam exiguam habeat causam inde superbiendi.

Avaris proponi potest: eos incidere in laqueos Diaboli, uti experti sunt infelix Judas, Giezi etc.; jubeantur etiam considerare malitiam avaritiæ; nam dicente Ecclesiastico (10. 9. et 10.): *Avaro nihil est scelestius, nihil iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet,* et juxta S. Paulum *(Coll. 3. 5.)*: *avaritia est simulacrorum servitus (1. Tim. 6. 10.); radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes . . . inseruerunt se doloribus multis.*

Considerare jubeat Confessarius vitæ brevitatem, illaque Christi verba *(Luc. 12. 20.)* sibi applicare: ***stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, et quæ parasti, cujus erunt?*** Hortetur ad veras divitias, scilicet bona opera, et virtutes comparandas, quas neque fures effodiunt, nec tinea demolitur, nec erugo consumit; jubeat sæpe meminisse, quod melius sit ***modicum justo, super divitias peccatorum multas;*** quod non sit inopia timentibus Deum, quod magnus sit quæstus pietas cum sufficientia; quod optimæ litteræ censuales sint illa Christi promissio: ***Quærite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. (Luc. 12. 31.)***

Luxuriæ deditis considerandum detur, quanta damna corpori et animæ hoc peccatum afferat; in quantum periculum amittendæ salutis conjiciat; quantam ab eo aversionem Deus habeat; quam colligere licet ex pœnis etiam in hac vita immissis, nimirum diluvio mundi, incendio Sodomæ, et aliarum Civitatum etc.; jubeat bene considerare difficultatem curandi hoc vitium, si invalescat. Eum in finem in memoriam revocet gradus, per quos in eo ad damnationem ascenditur, quosque S. Gregorius his verbis indicavit; ex quo luxuria mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permittit; sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine peccati defensio, ex defensione gloriatio, ac tandem desperatio.

Invidi jubeantur perpendere, quantorum malorum causa multis invidia fuerit; id colligere poterunt ex cæde Caini, venditione Josephi, persecutione Davidis a Saule, morte Christi, per invidiam procurata, imo totius generis humani perditione: nam *invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*, teste Salomone *(Sap. 3. 24.)*. Jubeantur pariter considerare, quod invidus per invidiam non modo rem illam, ob quam invidet, non eripiat, sed sibi potius corpore et animo noceat, uti bene S. Chrysostomus indicavit dicens: *o invidia, quæ semper sibi est inimica, nam qui invidet, sibi quoque ignominiam facit; illi autem cui invidet, gloriam parit.*

Gulosis ostendenda damna, quæ ex hoc vitio nascuntur; gula enim Paradisum claudit, primogenituram vendidit, suspendit Pistorem, decollavit S. Joannem Baptistam, Jerusalem totam evertit etc.; quin hominem facit ipsis brutis deteriorem, assimilat stultis et amantibus, annumerat idololatris, *quorum Deus venter est (Phil. 3. 19.)*, et veri Dei imaginem nota turpissima commaculat.

Ebriosis declarandum, quantum periculum animæ subeant, id, quod ex Jobi testimonio colligi poterit: *ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (Job. 23. 13.)*. Hinc Christus monet: *attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa (Luc. 21. 34.)*; in confirmationem proderit unum alterumve tragicum exemplum narrare, v. g. Holofernis, Ammonis etc.; verbo: *propter cra-*

pulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Declarari etiam utiliter potest, quomodo gula et ebrietas jam in hac vita spolient hominem sanitate corporis, honore, fama etc. ut patet exemplo Noe denudati, Loth incestum duplicem admittentis, Alexandri Clitum optimum amicum suum occidentis; et nonne ob pecunias gula absumptas quam plurimæ familiæ ad incitas redactæ sunt? etc.

CAPUT II.

Quæ Confessarium circa personas ætate, sexu, vel statu diversas observare opporteat?

Paragraphus I.

De Confessione Puerorum et Puellarum.

In audiendis puerorum, et puellarum confessionibus ea solet esse difficultas, ut Confessarii, quantumvis exercitatissimi, passim asserant: malle se audire plures etiam viros, ac mulieres, quam puerum septennem, aut octennem; ratio difficultatis est: 1°. quia persæpe dubium est an sufficiente usu rationis sint prædíti, et consequenter absolutionis capaces? 2°. an sciant, aut vere credant necessaria necessitate medii ad salutem? 3°. an dignoscant satis peccati malitiam? 4°. an sciant vim, efficaciam, et finem hujus Sacramenti Pœnitentiæ? 5°. an verum habeant dolorem, et propositum?

Pro hac igitur difficultate facillitanda advertat Confessarius, an requisitum habeant rationis usum? id quod colliget non solum ex ætate, sed, et multo magis, ex ingenii, ac educationis qualitate; quia multi post, et alii ante septennium sufficientem discretionem assequuntur, ita, ut non tantum venialiter sed etiam mortaliter peccare possint.

Signa autem, ceu indicia, quibus prudenter colligi potest, quod puer, vel puella sufficiente usu rationis præditi sint, juxta Autores sunt:

1. *Modus confitendi:* si nempe sua peccata satis distincte explicent, merito creduntur, sufficientem rationis usum habere; secus vero si confessionale ingressi sileant, aut nihil per se dicere possint, aut velint, vel certe non nisi formulas quasdam a parentibus haustas recitent. 2. Ipse *modus respondendi:* si nempe omnes, aut plerasque Confessarii quæstiones bene percipiant, apteque ad eas respondeant, iterum prudenter persuadere sibi potest Confessarius, eos non carere usu rationis; secus si ad omnia affirmative, (ut non raro fit) respondeant, etsi Confessarius, paulo post formaverit quæstionem aliquam uni ex prioribus oppositam. 3. *Modus agendi:* quem usurpant tempore confessionis; si enim in crate interjecta digitis nugentur, pileo, vel Rosario, quod manibus tenent, gesticulentur, aut sæpe oculos ad ea, quæ extra geruntur, convertant, aut imaginem in Confessionali appensam contemplentur; sat magna præbent indicia imperfectæ rationis; aut instructionis; unde, nisi aliunde certiora sufficientis rationis, et cogni-

tionis, signa haberi possint; vel tantum sub conditione; vel omnino non absolvendi erunt, sed potius dimittendi sine absolutione, impertita illis sola benedictione, et injuncta aliqua salutari pœnitentia. Præstat quoque semper elicere cum parvulis breviter Actus Fidei, Spei, et Charitatis, ne sine fructu dimittantur.

Si certum aliquod peccatum confiteantur, et sufficientia adsint signa rationis, doloris et propositi, absolvendi sunt. Si vero certum peccatum quidem habeant, sed magnum dubium sit de sufficiente usu rationis, aut de agnitione malitiæ peccati, præmisso dolore, et proposito sub conditione absolvi poterunt, ne diutius gratia Sacramentali carentes gravius forte labantur.

Si defectus reperiatur ex parte examinis; caute erunt examinandi, et primo quidem de levibus erroribus, v. g. an parentibus, vel Præpositis suis obedientes fuerint? an alios ignominioso nomine compellaverint? an mentiti fuerint, aut juraverint? an in Templo rixati, aut garruli, irreverentes, aut petulantes fuerint? an Catechismum neglexerint, in eo diligenter attenderint, an non aliquid abstulerint? cum quibus sociis domi, aut in plateis soleant conversari? *Ex hac ultima quæstione sæpe graviora peccata produntur etc.*

Cum experientia doceat, ejusmodi pueros, vel puellas nihil minus, quam de dolore peccatorum cogitare; imo sæpe non nosse, quid sit dolor, aut quid ad Confessionem requiratur: ita ut in confessionali instar psittacorum formulas sibi inculcatas recitare soleant, sine vero interno dolore;

ideo a Confessario suaviter docendi, et ad verum internum dolorem disponendi erunt. Pro hoc efficiendo optimus modus esse videtur, si non simpliciter, et nude interrogentur, an doleant de peccatis; sed, si v. g. interrogentur an diligant Dominum Deum? et tunc subjiciatur, an ideo doleant se peccasse, quod tam dilectum Patrem offenderint? item si quærantur interdum, quo veniant probi, et innocentes? quo vero mali, et peccatores; et postea inferatur, an et ipsi statuant deinceps vitare peccata, ut in cœlum perveniant, et non detrudantur in infernum? Exinde addi etiam potest, quam imprudenter egerint, quod Deum bonum infinitum offenderint, et meruerint in altera vita tam graviter puniri etc. Tum Confessarius conceptis verbis præeat puero in affectum doloris, et propositi, excitando eum etiam ad perfectam contritionem, ut ad hanc conando, imperfectam saltem certius assequatur. Demum injungenda Pœnitentia ætati conveniens, quam statim post confessionem peragant, ne in oblivionem veniat.

Paragraphus II.

De Confessione Adolescentum et juvenum.

Si isti in exponendis peccatis suis videantur non satisfecisse, examinari utiliter possunt: 1°. circa peccata, quæ pueris sunt magis ordinaria, ut dictum est §. priori; 2°. an dederint malis cogitationibus locum? 3°. an non sint locuti indecentia, scurrilia, aut obscœna, vel ea ab aliis libenter audiverint? an tempus otiosi

transegerint? pecuniam parentum dilapidaverint? iis quidquam subduxerint? malis sociis se adjunxerint? et quæ isti ætati sunt propria. In materia castitatis, ut supra monuimus, caute sunt interrogandi.

Illis specialiter 1°. commendandus usus examinis quotidiani, Sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ frequentior susceptio, item cultus singularis B. Virginis, et Angeli sui Custodis. 2°. Injiciendus horror turpiloquii, aspectus morosi alterius sexus, ac familiaris cum eo conversationis. 3°. Inducendi sunt, ut suas tentationes Confessario, aut spirituali suo Directori fidenter aperiant; ne mediis destituti succumbant. 4°. Ut malos socios velut dæmonis emissarios fugiant. Hæc successive, et Paterno affectu sunt inculcanda. Ceterum plus illis non dicat Confessarius, quam velit ab aliis resciri; adolescentes enim, quæ audiunt, et vident, observant diu, narrant aliis, et de his ipsi postea prudentiores facti judicant, et criminantur.

Pœnitentiæ, quæ adolescentibus utilius injungi possunt, sunt illæ potissimum, quæ juvant ad bonam consuetudinem inserendam, vel malam extirpandam: v. g. 1°. ut preces matutinas, et vespertinas ad tempus bene, et devote studeant persolvere; 2°. vel ut Missæ Sacrificio per dies aliquot devote intersint, illudque offerant ad certam virtutem consequendam, vel vitium extirpandum etc.; 3°. si potui sint dediti, ut per hebdomadam, aut certum tempus popinam non accedant, etc.; 4°. si sint negligentes in rebus Divinis, ut per determinatum tempus intersint

Catechismo, concioni, et Sacro. Sic procedendum in aliis malis consuetudinibus etc. Si se accusaverint de inobedientia erga parentes, dicatur illis: 1°. ut meminerint, quanta tulerint, fecerintque pro liberis suis parentes, quot noctes insomnes duxerint, quot labores, et molestias adhuc sustineant, ut eos honeste alant, iisque in futurum provideant; indignum esse eas augeri, a liberis, a quibus nunc auxilium potius et solatium expectant; nunquid, fili mi! vis manducare cum parentibus? nunquid vis esse eorum hæres? an ergo non decens est, ut simul labores, iisque obtemperes? Præceptum Dei est, ut parentibus obedias; si iis inobediens sis, Deo es inobediens; quomodo ergo ab illo Benedictionem expectabis? 2°. Si graviter offendisset parentes sua inobedientia, aut eorum honorem, imprecando vel alio modo læsisset, jubeatur domum redux veniam ab illis petere, et emendationem promittere; vel si hoc videretur difficulter facturus, suavibus verbis, et promptis obsequiis debito suo satisfacere, et eos sibi consiliare. 3°. Si putet filius se a parente durius tractari, jubeatur aut tacere, aut benigne, et reverenter respondere; sic vincet, et emolliet parentis animum, sique ad tempus patiendum sit, patientiam Deus multiplici benedictione coronabit etc. 4°. Si queratur, et pro excusatione suæ inobedientiæ, aut irreverentiæ referat: Parentem non bene præesse rei domesticæ, potitare, sua dilapidare; moneatur, ut eo diligentius rebus suis invigilet, patre ebrio sileat, sobrium et bene dispositum benigne et reverenter moneat, et roget, ut suis sibique con-

sulat, vel curet per virum prudentem v. g. Parochum aliumve bonum amicum Patrem ad meliora reduci, Deumque sæpe pro eo oret, quæque omnibus adhibitis emendare non potest, patienter ferat, sibique certo persuadeat in præmium patientiæ Deum benedictionem in terris, et gloriam in cœlis daturum. Porro quomodo excitandi sint ad dolorem constat ex dictis, quæ pro diversitate personarum, ubi necesse est, adhibenda sunt.

Adolescenti mentionem forte facienti de electione status (si quidem deliberationi huic videatur satis maturus), ostendat Confessarius, quanti id momenti sit negotium; jubeatque eum bene perpendere, creatum se esse non ad alium finem, quam ut in hac vita mortali Deo serviat, et tandem salvus fiat; ad hunc finem, quæ non referuntur perdita esse; hunc si non assequatur, æternum fore miserum.

Unde errant (ut docet S. P. Ignatius de electione status facienda), *qui uxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum munus seu beneficium adipisci statuunt; atque ita demum Deo postea inservire; utentes præpostere fine, ac medio, nec ad Deum tendentes recta, sed obliqua; ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes, atque e contrario plane agendum est: proposito primum Divino cultu tanquam fine nostro; et electo dein Sacerdotio, vel conjugio, ceterisque rebus omnibus, quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis: idcirco nihil movere nos debet, ad mediis quibusvis utendum, aut supersedendum, nisi habita in primis tam Divinæ Laudis, quam nostræ salutis, certa ratione.*

Hinc moneatur deliberans, ut ad omnia indifferens, et paratus (re Deo in precibus commendata) rite expendat ex una parte talenta sua, complexionem, vires corporis, animi propensiones, facultates et media; ex altera vero parte statuum (inter quos deliberat) commoda et incommoda, difficultates, pericula, et occasiones Deo serviendi, etc. ea inter se conferat, et videat, quid consideratis omnibus videatur magis conferre ad salutem suam et majorem Dei gloriam, quam in omnibus intueri debet: tumque, ubi cum S. Paulo dixerit: *Domine, quid me vis facere?* aut cum Samuele: *loquere, Domine, quia audit servus tuus;* facile audiet, quid loquatur ei in corde Dominus, et cognoscet, quis vitæ status voluntati Dei, ipsum salvare cupientis, sit magis conformis, sibique eligendus. Electione facta, jubeatur a Deo petere gratias necessarias, constantiam etc. Suggerantur etiam salutares doctrinæ pro statu, quem elegit: subinde ut vitia, si quæ contraxit, consuetudinesque illi statui valde contrarias, mature eruere studeat; uti e contrario virtutes eidem magis convenientes comparare: tandem, ut difficultates, quæ occurrere in statu electo plerumque solent, mature prævideat, atque ad eas generose superandas salutaribus remediis, armisque animum sedulo communiat.

Paragraphus III.

De confessione sexus fœminei.

Confessarius si unquam alias, servet hic illud *Eccli. 41. curam habe de bono nomine;* ut non tantum sit castus, sed etiam curet haberi

talis, procul omni suspicione conscientiæ minus puræ; exemplo Christi Domini, qui contra castitatem nunquam passus est sibi quidquam objici; neque enim quidquam plus diminuit viri, ad curandas animas destinati, authoritatem, quam suspicio animi minus casti. *Quid tibi cum fœminis, qui cum Domino ad Altare fabularis?* inquit S. Hieronymus. Proinde servet, quod sapienter pius quidam asceta commendat: cum fœminis agendum raro, caute, prudenter.

Hinc caveat Confessarius a fixo aspectu, ac blandis verbis, quæ affectum carnalem redoleant, aut illum possint suscitare. *In audiendis confessionibus, præsertim fœminarum,* inquit S. P. Ignatius, *severos potius se, quam familiares exhibeant, universim tamen paterna quædam, et spiritualis gravitas in eis eluceat.* Deinde non facile credat earum lacrymis, et querelis, sed potius hortetur ad patientiam: neque fidat earum revelationibus; sed jubeat servare fideliter Dei mandata.

Noscat etiam, quæ sint peccata fœminis magis propria præsertim si imaginentur sibi, se esse melioris conditionis; tum enim litant superbiæ, aut vanæ gloriæ in vestibus; appetunt videre, et videri, laudari, et honorari, tempus ludendo, et confabulando cum detrimento alienæ famæ perdunt; idolum illarum est commoditas et mundus muliebris, etc.

Atque ejusmodi peccatis obnoxiæ etiam quandoque sunt conjugatæ invigilantes magis vanitati, quam rei domesticæ, aut prolium educationi. Talem quampiam si confitentem habeat Confessarius,

seposito omni respectu humano exponat illi obligationes suas, ac pericula; media dein emendationis præscribat. Juverit ei proponere exemplum B. Virginis, quam corde humilis! quam verbis gravis, et parca! quam modesta facie, corporisque totius compositione! quam intenta operi! quam Deo conjuncta! etc.

Si puella contractis jam sponsalibus initura Matrimonium petat instrui, monenda est:

1°. Sponsis veneream voluptatem non licere magis ante Matrimonium, quam aliis liberis non sponsis; proinde cavenda omnia, quæ ingenuam, et verecundam puellam dedecent. 2°. Caveat nimiam familiaritatem cum Sponso. 3°. Matrimonium institutum esse, ut augeatur Fidelium numerus, ad quos habendos Deus hunc mundum condidit; hinc, quæ in Matrimonio licent, fieri debere honesto fine, et verecunde: ut creaturam rationalem decet, Deo a mente nunquam excluso. 4°. Post sponsalia non diu Matrimonium differendum esse, ne tentationibus exponantur. 5°. Curandum, ut Matrimonium ambo in statu gratiæ ineant, pacifice dein vivant, pars una alterius onera portet, memor, homines se esse variis defectibus obnoxios. 6°. Uxor viro in licitis, et honestis obediat; quia vir teste Apostolo *caput est mulieris*, illi irato cedat, verbis suavibus, et quasi deprecatoriis errantem moneat, Deum pro illo oret, liberos, si Deus dederit, bene et christiane educet; redditura de iis Deo rationem, omnibus, suis præsertim sit bono exemplo etc.

Pleraque hæc salutaria monita conveniunt etiam sponso, qui uxorem suam tractare debet,

non ut famulam, sed ut sociam, et consortem: quæ nisi serventur, avertent a se Dei Benedictionem. Demum suaderi potest: ut certum e cœlitibus domus suæ Patronum eligant, quem frequentiori licet exiguo cultu specialiter colant, ac venerentur; cultus enim ejusmodi, etsi tenuis, teste experientia, magnæ est utilitatis.

Paragraphus IV.

De Confessione Conjugum, et Parentum.

Horum obligationes scire debet Confessarius, ut rite eos dirigat. Est igitur *Conjugum* obligatio 1°. debent sibi invicem *amorem, et charitatem;* unde possunt, et aliquando tenentur se invicem corrigere; uxori tamen convenit sola monitio, et adhortatio; viro autem monitio, adhortatio, et punitio discreta, et ut plurimum levis tantum, quia uxor est socia viri, non serva; debet autem punitio procedere ex charitate, vel amore justitiæ, aut zelo procurandi rectam familiæ gubernationem, esseque multo levior, quam culpa mereatur, ne pax inter eos, et amor mutuus pereat. In hunc finem debet quandoque pars una compartis suæ defectus, ubi sine peccato potest, dissimulare, nec nimia esse, in adhortando, aut corrigendo, aliquoties etiam monitionem, vel punitionem ad tempus differre, ne dum compars est indisposita ad eam recipiendam, fructu careat, aut etiam ex inordinata passione fieri videatur.

2°. Tenentur *cohabitare;* quia convenerunt in individuam vitæ societatem. In specie tenetur Uxor Marito obedire in iis, quæ spectant ad bonos mores, et domus gubernationem; quia

Maritus est caput Uxoris, cui hæc obedientiam, et reverentiam debet.

3°. Ut sibi invicem reddant *debitum conjugale*, ubi petitur serio, et non est legitima causa negandi; quia ad hoc se obligarunt, estque materia gravis: et *vir*, dicente Apostolo *(1. Cor. 7. 4.) corporis sui potestatem non habet, sed Uxor, et mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir;* nempe in ordine ad generationem, et ad vitandam incontinentiam: ad hoc enim sunt unum principium et hinc una caro.

4°. Tenentur non uti Matrimonio, nisi *fine honesto;* qualis est: 1°. ut propagetur genus humanum, et augeatur numerus servorum Dei; 2°. ut satisfaciant suæ obligationi; 3°. ut vitetur periculum incontinentiæ; 4°. denique tenentur ad *fidem et continentiam conjugalem.* Unde peccant graviter si per tactus etc. exponant se periculo pollutionis, aut generationem positive impediant etc. Si quis autem speciatim interroget, quæ sint licita conjugibus, respondeat Confessarius: licere conjugibus, quæ conducunt ad prolis susceptionem, omnia honeste, et secundum ordinem a natura institutum agenda esse: nec descendat ad particularia, sed sinat potius Pœnitentem exponere, si quæ habeat, quæ angunt.

Ceterum, si Conjux contra conjugem queratur, non statim credat Confessarius querentem culpa vacare, ne incognita causa alterutrum condemnet, nec coram uxore culpam aperte in Maritum conjiciat, quamvis ille sit reus; quia mulieres ex natura sua procaces, facile viris noxas, præsertim

judicio Confessarii condemnatas objiciunt: quare melius est, re dissimulata, eidem salutaria monita, ac instructiones quoad exposita utiles conferre, illique commendare Orationem, mansuetudinem, ac patientiam. Potissima enim discordiarum causa est garrula, et indomita mulierum lingua etc.

Unde, si Uxor queratur de severitate, et iracundia viri, suadeat Confessarius, ut pro eo diligenter supplicet apud Deum, in cujus manu sunt corda hominum; sit diligens in obsequiis Christianis eidem exhibendis, ordinariis addat extraordinaria, v. g. illa, quæ illi gratiora esse scit; dicatque, se id facere, ut bene sit illi; studeat ei in omnibus rationabilibus exacte obedire etc. ita enim suo tempore obtinebit, quod volet; exemplo sanctæ Monicæ, quæ Conjugem suum Patritium sic mitigavit, et ad fidem convertit: taceat, dum Maritus iratus, aut plus nimio potus est; imo postridie deprecetur, aut sic se benignam gerat, ac si ipsa peccasset. Si monitio profutura videatur, moneat, dum Maritum bene affectum videt. Si irato respondendum sit, respondeat benigne, et suaviter: *responsio* enim *mollis,* ait scriptura *(Prov. 15. 1.) frangit iram, sermo* autem *durus suscitat furorem.* Si hæc nihil juvent, per Parochum, vel prudentem virum curet moneri Maritum suum; si nec hoc prosit, patientia opus erit, et ex tanto malo fructus meritorum in cœlis maximus cum patientia, et certa fiducia expectandus.

In specie parentum obligatio triplex est: ex lege naturali debent liberis suis 1°. *amorem sincerum,* et prudentem; 2°. *educationem cor-*

poralem, et curam vigilem, ut avertant noxia vitæ sanitati, felicitati corporali; alimenta necessaria pro qualitate status sui procurent, ut discant, quæ ipsis conveniunt, uti artes honestæ, litterarum studia etc.; 3°. debent illis *instructionem*, et educationem spiritualem; adeoque eos vel per se, vel per alios instruere necessariis ad salutem, vitamque Christianam; præire illis bono exemplo, delinquentes paterne, et prudenter corrigere etc.

Unde peccant Parentes si vel uni ex his obligationibus non faciant satis, v. g. si proles suas delinquentes non corrigant, aut ubi necesse est, non puniant; aut si non puniant ex charitate, aut zelo justitiæ, sed solum ex iracundia, passione, pœna ipsis non conveniente vel justo multum graviore; neque enim parentes habent dominium in membra liberorum, sed tantum jus puniendi ad correctionem, et emendationem; hinc pœna non debet excedere delictum, nec potestatem punientis; sed potius minor esse delicto: omnia juxta leges prudentiæ dicente Apostolo *(ad Ephes. 6.) vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Quare culpa non vacant parentes illi, qui identidem filios suos vocant patibularios, nebulones, trifurciferos etc. quia sic illis malum exemplum dantes præbent insuper ansam justam iracundiæ, faciunt morosos, et contumaces, se ipsos vero plurium peccatorum alienorum reos.

Si parens queratur, liberos suos inobedientes esse, ab iis se incitari, ad impatientiam, maledictiones etc.; Confessarius consulat ipsi: 1°. ut

primum ipse Deo obediat: non mirum, quod alii ipsi non obediant, cum ipse non obediat Deo; 2°. ut examinet an non sua fortassis culpa, et negligenti educatione ista eveniant? an non liberis suis nimia indulserit, inordinate, aut nimis dure tractaverit; sicque illos exasperaverit etc.; 3°. meminerit juventutis suæ, an non et ipse erraverit; proinde cogitandum, homines defectibus obnoxios esse, nec obtineri posse omnia ex voto suo; hinc dissimulandum quandoque minores defectus, ut majores efficacius corrigat, exemplo piscatorum, qui pisces minores sæpe negligunt, ut majores capiant; 4°. bonis verbis, et lenitate potius, quam nimia severitate incitet suos ad officium, immorigeris in mensa, aut alibi quid subtrahat, et det morigeris, hosque laudet, aut speciale amoris, et benevolentiæ signum ostendat: hac ratione plus sæpe obtinebit, quam verberibus ab ingenuis filiis. Ceterum parentes tum inter se, tum inter suos maximi æstiment, et curent concordiam; ubi enim hæc non est, nec Dei Benedictio erit.

Paragraphus V.

De confessione Tutorum, et Curatorum.

Et horum obligationes scire debet Confessarius, ut eosdem sæpe graviter delinquentes, nec de injustitia, quam non raro committunt, se in confessione accusantes, melius instruere possit. Tutor igitur seu constitutus, ut pupilli sive impuberis personam, et bona loco parentum gubernet, ac administret; et curator, seu con-

stitutus, ut curet bona minorennis, sive puberis tenentur.

Primo ex justitia bona illorum administrare ea cura, quam diligens Paterfamilias propriis suis rebus adhibere solet, tam ut emolumenta proveniant, quam ut damna avertantur; alioquin tenebuntur etiam in conscientia compensare, saltem si cum notabili negligentia culpa gravis theologica intervenerit. Ratio est, quia suscipiens tutelam, vel curatelam per promissionem explicitam, ac etiam per contractum tacitum et implicitum ad illa obligationem suscepit. Unde si pecunias eorum in suos proprios usus convertissent, tenerentur de lucro sua culpa cessante, et damno emergente; uti, et si fructus, quos ex eorum bonis percipere poterant, sua culpa non perceperint, obligarentur compensare. Ut vero omnem a se fraudis, ac negligentiæ suspicionem Tutor, vel Curator amoveat, consultum ipsi erit, propinquorum, aut Judicis consilio in bonorum administratione uti.

Secundo. Tenentur, dum ejusmodi Officium in se suscipiunt, bonorum inventarium conficere, et sæpe, dumque officium deponunt, rationes reddere etc.

Tertio. Tenentur sedulam curam gerere personæ sibi commissæ, et in primis Tutor pupilli, ut bene educetur, bonis moribus, aliisque convenientibus instruatur. Econtra pupillus Tutori, et minor curatori suo tenetur obedire, et filialem reverentiam ac honorem exhibere etc.

Paragraphus VI.
De confessione Rusticorum, et Pauperum.

Hi ad salubres cogitationes animo fovendas moneri possunt: 1°. ut salutem animæ suæ omnibus temporalibus præferant; considerent quandoque brevitatem vitæ, nihilque sibi postmodum quidquam profuturum, nisi Deo bene serviisse; 2°. Ut memores exempli Christi Domini, qui in laboribus fuit a juventute sua, difficultates suas, et labores recta intentione perferant, et perficiant: cogitent magnam mercedem se manere; Dei voluntatem esse (qui in illo statu eos collocavit) ut ita patiantur, et faciant, animosque suos a terrenis abstrahant, ac salutem æternam quærant; sanctitatem consistere in eo, ut quis statui suo convenienter ex Dei voluntate vivat: majorem esse, non qui ditior, aut in majoribus est deliciis, vel honoribus, sed qui melius voluntati, et beneplacito Dei se conformat; 3°. ut non nimium differant confessionem, et sacram Communionem; quia hæc Sacramenta digne suscepta semper augent gratiam sanctificantem: quæ, quo major erit in aliquo in fine vitæ, eo major erit ejus in Cœlo meritorum cumulus, et gloria, hujus enim semen et mensura est gratia.

Si quis *paupertatem* queratur, Confessarius soletur eum, et excitet ad patientiam, et conformitatem voluntatis suæ cum voluntate divina dicendo v. g. 1°. optimum consilium, quod tibi dare possum, est, ut bene contentus vivas in statu tuo, atque adeo paupertatem tuam, quam

necessario pateris, etiam voluntate tua libera amplecti stude; sicque vere pauperibus spiritu annumerari mereberis. Non difficile fuit Deo, te divitem facere: amat te, et voluit te esse pauperem, ne per abusum divitiarum esses æternum miser. Nescimus, quid magis nobis expediat: pone omnem fiduciam in Deum, ipsi cura est de nobis; cujus *oculi respiciunt super pauperem* teste David *(ps. 10. 5.)* et cui *derelictus est pauper (ps. 38.)*; quidni ergo illam ejusdem Psalmistæ sententiam a S. Franc. suis Religiosis pro viatico dari solitam tibi quoque applices? *jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* Sperare igitur poteris, Deum ea, quæ ad corporis necessariam sustentationem requiruntur non minus ac volucribus Cœli, tibi qui pluris es, juxta promissionem suam (Matth. 6. factam), adjecturum. Certe *divites eguerunt, et esurierunt (ps. 36.); inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

2°. Perpende curas, et pericula, in quæ conjiciunt sæpe divitiæ, et quibus liberat paupertas, ut adeo merito applicare tibi possis verissimam illam S. Aug. *(serm. 28.* de verbis Domini) sententiam: *non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes ditius invenire. Vis nosse, quam locuples sit; Cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod pauperibus videmus indultum? ut ad Regnum Cœlorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit; nunc obtinet, ut contemtu perveniat.*

3°. Considera Salvatorem tuum; qui, *cum dives esset, propter nos egenus factus est.*

(2. Cor. 8.) Pater noster Cœlestis illi vult nos conformes fieri in hac mortali vita, ut æternum cum illo gaudeamus in Cœlis. Age gratias, quod te voluerit conformari pauperi Jesu. Multi in Cœlo non essent, si non fuissent pauperes. Multi non arderent in inferno, si divites non fuissent. Hinc Christus *væ* dixit divitibus; at oculi ejus respiciunt super egenum, et pauperem. Paupertas igitur favor est; et ideo tot Sancti, abjectis mundanis omnibus, sponte elegerunt paupertatem, ut Christo Domino sese conformarent; cui, quo quis conformior est, eo major est, et sanctior.

4°. Vita nostra quasi comœdia est: in hac unus sustinet personam regis, alter aulici, alter pauperis mendici; qui optime sustinet personam suam, magis laudatur. Tu age personam tuam bene, et laudaberis, magnusque eris apud Deum, qui personas distribuit.

5°. Considera, quam benigne et clementer hactenus tecum egerit Deus, quam te ipsi non servientem patienter tulerit, quam misericorditer a se fugientem receperit. An poterit tibi deesse, si ipsi te committas, et illi fideliter obedias? dedit tibi Filium suum Exemplar, Magistrum, Redemptorem; omnia ejus, et Ipsum voluit esse tuum: quomodo minus negabit, qui, quod plus est, tam paterne, et non rogatus dedit? *Petite, et accipietis. (Joan. 6.)*

Serviunt hæc etiam ad erigendos alios desolatos. Parentes insuper (si querantur de defectu mediorum ad sustentationem necessariorum) hortetur Confessarius, ut liberos suos bene, et christiane in Dei timore educent; hæc optima erit

hæreditas, quam nemo iis auferre poterit. Exemplo sit Tobias *(cap. 4.)* dicens Filio suo: ***pauperem quidem vitam ducimus, sed multa bona habebimus; si Dominum timuerimus.***

Demum attendat Confessarius, an non forte pœnitens sua propria culpa, negligentia, aut mala domus gubernatione ad talem statum egestatis redactus sit? hortetur dein illum ad laborem, ac vigiliorem suæ domesticationis curam etc.

PARS TERTIA.

De iis, quæ Confessario specialiter sunt observanda, circa personas variis vitiis, et defectibus obnoxias.

CAPUT I.

Quæ in Confessione hominis constituti in occasione proxima peccandi, vel consuetudinarii observanda?

Paragraphus I.

De Confessione Constituti in occasione proxima.

Magna solertia animadvertendum Confessario, num pœnitens in alicujus criminis *occasione proxima* scienter perseveret. Talis censenda est, quidquid ad peccatum mortale frequenter vel communiter ut plurimum inducit; idque vel spectata communi hominum infirmitate, et tunc occasio proxima *per se,* seu *absolute* talis dicitur; vel spectata non omnium passim, sed hujus hominis in particulari inclinatione, aut fragilitate sibi propria, et tunc occasio proxima *per accidens,* seu *respective* talis dicitur.

Pœnitens, qui in hac, vel illa occasione versatur, si dimittere eam sine peccato, et gravi incommodo potest, et tamen hactenus, licet sæpe

monitus, non deseruit, absolvendus non est, nisi eam prius deserat; ratio est: quia merito suspectum, nec sufficiens est ejus propositum, exponiturque periculo proximo relabendi, eamque occasionem non deserendi, nisi timor negandæ absolutionis retrahat. Probanda nimirum ad tempus est facti promissi firmitas; solet enim talis pœnitens sæpius, quam dedit, fidem frangere.

Unde si, vel in occasione proxima deserenda, vel in adhibendis mediis a Confessario præscriptis, diligentiam, quam promiserat, sæpe non adhibuerit, adeoque sufficientia emendationis signa nondum dederit, absolvi *regulariter* non debet; tempore sane opus est, ut talis hominis conversio (utpote difficilis plerumque, et operosa) dignoscatur. Dictum est *regulariter;* nam possunt esse circumstantiæ, in quibus absolutio esset impertienda: ut, si pœnitens esset in articulo, vel mortis periculo, nec posset hic, et nunc, paratus tamen proxime, occasionem amovere, aut deserere; quia credibile est, tunc adesse serium propositum eam deserendi.

Præterea absolvendus est existens in occasione proxima, quam moraliter vitare non potest; puta, quia alias subeunda esset certa, et gravis infamia, vel damnum valde grave temporale, aut spirituale; modo prudenter judicetur habere verum dolorem, seriumque propositum adhibendi omnia media ad periculum formale destruendum necessaria; ratio est, quia si possit velitque ex occasione *proxima* facere *remotam* (quod maxime curandum) paratusque sit præstare, quod moraliter potest, prudenter creditur, esse dispositus,

fieretque illi injuria, si cogeretur in tali casu statim occasionem absolute deserere; uti si Filius cogeretur discedere ex paterna domo, Judex, vel Chirurgus Officium, quibus hæc essent proxima peccandi occasio, quam serio vellent facere remotam, abdicare statim juberentur; occasio enim de se non est peccatum; et ut ponitur, pœnitens paratus est, vim ejus ad peccatum inductivam enervare; inde merito sperari poterit ejusdem emendatio. Quod si post unam, alteramve confessionem nulla sequatur emendatio, differenda est absolutio; donec appareat aliqua emendatio, tum ut pœnitens majorem concipiat peccati horrorem, conatumque majorem adhibeat, tum, ut amoveat fundatum dubium de serio proposito etc.

Ex his patet, magna prudentia opus esse Confessario in præsenti materia, ut ex circumstantiis discernat, an aliqua particularis occasio sit moraliter inevitabilis, adeoque talis, ut pœnitens in ea (saltem aliquo tempore) relinqui possit, et interim aliquoties absolvi; aut talis, ut nec vel semel absolvi possit, nisi deseratur. Prudenter monet P. Paulus Segneri *(in Instruct. Confess.)* ut attendat Confessarius, si pœnitens cogeretur subire grave malum pro evitanda occasione peccandi; an non plura ex eo peccata sint secutura, vel an non facilius sit persuadere, ut media efficacia adhibeat, et emendet; quam ut deserat occasionem, eo quod periculum formale nunquam sit inevitabile?

Paragraphus II.

De confessione consuetudinarii, et recidivi.

Consuetudinarius dicitur, qui ex inclinatione, vel habitu per actus frequentatos in certa specie peccati, v. g. blasphemiæ, contracto frequenter relabitur in certum peccatum. Cum consuetudinario multi confundunt ***Recidivum,*** quem dicunt illum, qui iteratis aliquoties confessionibus, post singulas confessiones in eadem peccata reincidit. Quæ autem frequentia relapsuum requiratur, ut aliquis dicatur consuetudinarius, et tractetur ut talis, non una regula definiendum est; sed attendendum ad naturam, et circumstantias peccati, ad tempus etiam, et modum committendi peccata; nam peccata, quæ ore, cogitatione, vel ex communi fragilitate, aut minus deliberate fiunt, majorem requirunt numerum ad frequentiam ex consuetudine.

Regulariter neganda est absolutio consuetudinario in occasione proxima constituto, nisi prudenter judicetur adferre dispositionem requisitam, aut ad illam per exhortationem, et industriam Confessarii jam adductus censeatur. Neque ad id necesse est, ut Confessarius judicet, quod pœnitens nunquam sit relapsurus; sed sufficit, quod prudenter possit judicare: eum verum dolorem, et propositum habere, spemque facere suæ futuræ emendationis. In his enim consistit sincera, plenaque conversio. Si tamen postea in sequentibus confessionibus, nulla emendatio appareat, nec peccatorum numerus diminutus, nec

media, aut salutaria Confessarii consilia adimpleta fuissent; non facile credat Consuetudinario, licet dicat, se jam paratum esse adhibere præscripta media; quia sæpe tales promittunt magna ex timore negandæ absolutionis, sed se, et Confessarium decipiunt. Proponi tamen illis debet periculum, in quo versantur, et quod absolutio ipsis nunc nihil sit profutura, imo magis nocitura ob defectum seriæ voluntatis vitam emendandi in melius. Sic certe discent melius apprehendere mediorum adhibendorum necessitatem; experientia enim constat, quod dilatio absolutionis multum conferat ad consuetudinarium curandum; huic enim aperit oculos, ut cum sua confusione videat animæ suæ pericula, gratiæque Divinæ det locum, quæ eo faciliora reddet omnia, quo sæpius ipse, meliusque ea vicerit. Hujus gratiæ intuitu (si eidem pro viribus cooperetur) erigendus est pœnitens consuetudinarius, qui pusillanimis nimium, et turbati animi videtur: si autem minus sollicitus sit de emendatione, terrendus est; proponendo judicia Dei, mortem æternam, dæmonis insidias, etc. Præ cæteris vero efficax remedium ad pœnitentem melius disponendum a peritis Confessariis judicatur, si singularem condolentiam ob tanta delicta, et malum suum statum ostendat Confessarius, si significet, se summopere optare, et paratum esse, illum e tam malo, et periculoso statu eripere etc. De cætero dictam tibi a Christo crucifixo, et pro te vulnerato sequentem S. Bernardi sententiam existima: *nonne satis pro te vulneratus sum? nunquid pro iniquitate tua afflictus sum? cur*

addis afflictionem afflicto? magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei; aut istam ejusdem: *o homo, vide, quæ pro te patior; non est dolor, sicut, quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior: cum sit dolor tantus exterior; interior est planctus gravior, cum tam ingratum experior.* Solent autem consuetudinarii, aut recidivi, ne tales, quales revera sunt, videantur, identidem mutare Confessarios, et ad ignotos, quasi hypocritæ, ac deceptores recurrere; ideo Confessarius ejusmodi suspectos pœnitentes sollicite interroget: quandonam ultimo sint confessi? an ante illud tempus frequenter sint lapsi in idem peccatum? quamdiu, seu quanto jam tempore in hac, vel illa mala consuetudine peccandi versentur? quot jam confessiones peregerint, vel quantum temporis effluxerit a tempore, quo illud peccatum perpetrant? num in idem vitium post singulas confessiones denuo inciderint? an aliquo saltem tempore abstinuerint, numerum diminuerint? an remedia, vel consilia a Confessario præscripta adhibuerint, aut saltem adhibere conati fuerint? Ex talibus enim interrogationibus animadverti facile poterit, num pœnitens ex illorum numero sit, de quibus Propheta Regius psalmo 36. dixit: *mentita est iniquitas sibi etc.*

Cæterum consuetudinario, præsertim in materia luxuriæ, suadendum omnino, ut frequenter confiteatur, et quoad fieri potest, stabiliter *eidem* prudenti, docto, et bene experto *Confessario,* cujus consilia sequatur, ad quemque statim post

lapsum recurrat, aut, si nequeat, ipse de se vindictam sumat etc. Tali interim Confessario duo maxime cavenda: unum, ne sit nimis rigidus; alterum, ne sit nimis facilis, et de remediis efficacibus parum sollicitus; rigor enim nimius pœnitentem in desperationem agit; languida autem benignitas, et nimis facile iisdem impensa absolutio, causa est, quod pluribus annis insordescant consuetudini, pravisque habitibus etc.

Si pœnitens sit consuetudinarius in pluribus materiis, specialis cura impendatur: *Primo,* ut radix morborum detegatur, quia ut sapienter pronunciavit S. Chrysost. *(serm. 2. in Paralyt. demissum): mos est Medicorum, ut non prius morbos abigant, quam eorum fontes occludant*; *frustra enim,* ut S. Ambr. (in ps. 61.) ait: *Cicatricem curaveris, si serpant interiora contagia; imo acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interius vulnus exæstuat.* Nec contentus sit Confessarius, ut ipse duntaxat morbos, et radices pœnitentis agnoscat, sed insuper etiam laborare debet, ut eorum notitiam, ipse quoque pœnitens acquirat, siquidem in cognitione *sui* initium remedii consistit, teste *S. Gregor. (hom. 1. Ezech.).* Quamobrem multum refert, inquit *Ludov. de Ponte (tom. 4. de perfect. tr. 5. c. 12. §. 1.)* ponere illi ob oculos aliquod speculum, aut picturam, in qua animæ suæ dispositionem intueatur, offerendo illi aliquas sententias, sive exempla S. Scripturæ, eum in modum, quo Christus Dominus noster parabolas proponebat Pharisæis, in quibus ipsorum vitia cum omnibus circumstantiis depingebat.

Secundo, ut non omnes morbos simul curandos suscipiat, sed sensim, et paulatim, ut scite loquitur Ludovicus de Ponte: licet Confessarii in Sacramento Pœnitentiæ totam animam sanam reddant quoad remissionem peccatorum lethalium, vitiorum tamen, et passionum reliquias, eos non simul, sed paulatim curare debere, quemadmodum et Moyses de nationibus sibi inimicis dixit (Deut. 7.): *Deus magnus, et terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim et per partes; non poteris eas delere pariter?*

Tertio, ut morbos magis periculosos, aut scandalosos prius curandos suscipiat, instituto prius super iis examine particulari, donec unum post alterum expugnetur. Nec unquam despondeat Confessarius animum, multominus repellat pœnitentem tanquam incurabilem, sed pro eo oret. Si conatus fructum habet, non extollatur; nec dejiciatur, si non habeat. Dei enim opus est conversio animarum.

Si tandem Consuetudinarius post plures jam factas confessiones, advertatur esse vere pœnitens, et incipiat serio se emendare, inducendus est ad Confessionem generalem; quia prudens est timor, ne confessiones antecedentes fuerint invalidæ ob defectum doloris, et propositi, alias tamdiu in pessima illa consuetudine non mansisset.

Denique dirigendi sæpe erunt consuetudinarii, sicut qui constituti in proxima peccandi occasione, ut §. *præcedente* dictum fuit. Remedia spiritualia, quæ his, et illis præscribenda sunt, non multum differunt ab allatis *parte secunda.*

Præ occulis semper habeat Confessarius propositiones quoad hanc materiam a sede Apostolica damnatas, ne illas defectu advertentiæ in praxim deducat.

CAPUT II.

Quæ in Confessione pœnitentis diu invalide confessi, anxii de præteritis Confessionibus, aut hominis scrupulosi observanda?

Paragraphus I.

De modo procedendi cum pœnitente diu invalide confesso.

Confessio generalis, alia est *obligatoria,* seu necessaria, alia *spontanea,* seu non necessaria. Obligatoria est, quæ ob defectum essentialem in præcedentibus confessionibus commissum facienda est. Spontanea vero est, quæ ad majorem animæ profectum, ac solatium peragitur; subdividi potest in eam, quæ ab uno, vel pluribus annis fieri solet, et eam, in qua peccata per totam præcedentem vitam commissa repetuntur.

Confessio obligatoria facienda est: 1°. Quando confessiones particulares sua integritate caruerunt, omisso in iis aliquo peccato mortali, sive ex verecundia, sive ex ignorantia affectata, aut culpabili, sive ex defectu mortaliter culpabili conscientiæ non satis examinatæ. 2°. Quando illis dolor sincerus, propositum serium emendationis, et occasiones vitandi, aut, si necesse

sit, illata damna reparandi defuit. 3°. Quando Confessiones factæ fuerunt Sacerdoti, in quo Jurisdictio, sufficiens facultas, aut intentio absolvendi deerat.

Si pœnitens diu invalide confessus est, aut de eo timet ob peccatum aliquod omissum; interrogetur: an scienter, aut ignoranter illud omiserit? an dum omisit illud peccatum confiteri, sciverit, putaverit, aut saltem dubitaverit, esse mortale, necne? si hactenus nec scivit, nec putavit, esse mortale, non est opus præcedentes confessiones repetere; si vero aliquo tempore scivit, aut putavit; ab hoc repetendæ sunt confessiones; quia in his non vero in illis præcedentibus confessionibus pœnitens egit mala fide. Si sciens, vel dubitans (nec deposuerit dubium), esse mortale, retinuit in confessione peccatum, petatur ab illo, quoties illius peccati memor in confessione retinuerit? an semper post confessionem communicaverit, et quoties? etc. Porro si ex verecundia reticuit, aut gravi remorsu conscientiæ, censendus est, satis advertisse, grave peccatum esse illud omittere; proinde repetendæ ab illo tempore, quo illud omisit, præteritæ confessiones quoad numerum et speciem, quantum fieri poterit.

Si Confessarius deprehendat pœnitentem multis annis sacrilege confessum, præparatum non esse ad confessionem generalem, jubeat eum confiteri, ea quæ occurrunt memoriæ, examinet illum de magis obviis peccatis, ut sic aperto ulcere, et deposita jam parte verecundiæ facilius redeat; deinde moneat, ut circa reliqua melius se examinet; nam tam subito omnium recordari

non potest; denique dicatur illi, ut designato tempore redeat pro complenda confessione, promittendo illi auxilium, ut res tota perfectius peragatur; et addendo eum modo non absolvi pro majori sua deinceps quiete, et conscientiæ tranquillitate, sicque bene animatum impertita benedictione dimittat.

Quod si non possit redire, nec putaretur facile alteri confessurus, adjuvandus esset, examinando illum, et inquirendo, in ejus ætatem, conditionem, et officia, quibus hactenus functus est; hæcque ideo quærenda, ut aliæ quæstiones prudentius formari, aut omitti deinceps possint; monendus præterea, si forte deinceps peccata commissa, a tempore primæ confessionis sacrilegæ occurrerint, confitenda esse. Demum absolutus injungatur ei pro parte pœnitentiæ, ut proxima occasione prævio diligenti examine confiteatur, si quid occurrerit, quod omissum, et confitendum sit.

Pro examine talis pœnitentis, notandum est, quod numerus peccatorum præcipue internorum facilius conjiciatur ex consuetudine, et tempore, quo in illis hæsit, ea iterando in septimana, vel mense *toties*, vel *toties*, quam alio modo. Si pœnitens ex verecundia, et rubore numerum certi a se commissi criminis difficulter exprimere advertatur, expedit proponere illi magnum numerum, quem si neget, proponatur, illi paulo minor, donec tandem aliquid certi affirmet, addendo semper *circiter*. Denique Confessarius maxime curet, ut verum dolorem, serium propositum ab ejusmodi hominibus extorqueat, quia in eo periculosior, et frequentior est defectus. Multi con-

fitentur, quin de peccatis serio detestandis sint multum solliciti; et hunc ob defectum non pauci damnantur. Veritatis hujus testem habemus S. Theresiam, quæ ideo Concionatores rogat, ut sæpe agant de vero dolore, et proposito ad bonam confessionem peragendam necessario, cum ex revelatione intellexerit, infernum plenum esse confessionibus invalidis, non tam ob defectum sinceritatis, quam veri doloris, ac serii propositi.

Paragraphus II.

De modo procedendi cum pœnitente anxio suarum confessionum.

Si Pœnitens nihil quidem voluntarie in præteritis confessionibus omisit, attamen timet, ne invalide sit sæpe confessus: indaganda est causa illius timoris, et constitutio Pœnitentis consideranda; et quidem si timet ideo, quia longo tempore in consuetudine graviter peccandi hæsit et consequenter sæpe non habuisse dolorem, et verum propositum, utiliter faciet confessionem generalem, saltem incipiendo ab illo tempore, a quo merito anxius est. Hæc autem advertenda in generali confessione prædicti anxii Pœnitentis, aut alterius, qui vult generaliter confiteri. 1°. Etsi, per se loquendo, non teneatur peccata ab ultima confessione commissa distinguere ab aliis jam confessis, quia omnia vult æqualiter subjicere clavibus, et confusio substantiam actus non mutat; sæpe tamen melius est ea distinguere, tum quia circa nunquam confessa communiter magis est examinandus Pœnitens, tum quia sic

melius dignoscitur status præsens pœnitentis, et quæ media necessaria sint adversus relapsum, si forte ab ultima confessione frequenter lapsus sit in idem peccatum. 2°. Si præcedentes confessiones non sint suspectæ, non sit importunus Confessarius in exquirenda specie, et numero, nisi videretur id expedire ad majorem pœnitentis quietem, et solatium; quia, cum semel, ut supponitur, bene sit confessus, necesse non est novam pœnitenti molestiam quoad hoc facere. 3°. Si semel fecit confessionem generalem exactam de juventute, incipiat ab ultima generali, aut ab illa particulari confessione, de qua angitur, omittendo antecedentes. 4°. Quandocumque Confessarius in decursu confessionis notabiles deprehendit errores, ad quos Pœnitens parum attendisse videtur, quia, ut forte dicet, *ad eosdem, nihil mihi dixit prior Confessarius, semperque me absolvit etc.*, caveat caute ne alterius Confessarii modum procedendi redarguat, imo excuset potius, quantum discrete fieri poterit, dicendo v. g. pœnitentem eidem non bene casum exposuisse, aut non satis explicasse circumstantias etc. 5°. Peracta confessione generali prævio diligenti examine non tenetur amplius recogitare præterita, sed ubi prudenter judicat, se nihil omisisse, præsumere potest, se statum suum sufficienter exposuisse; permitti tamen expedit, ut, ter vel quater postmodum incidentia confiteatur, de quibus dubitat, an sit confessus; maxime si non fuerit timoratæ conscientiæ; sic enim magis purgabitur anima, et quieti pœnitentis consuletur.

Si vero pœnitens sit scrupulosus, adeoque inaniter anxius sit de præcedentibus confessionibus, *ordinarie* permittendum non est ita facile, ut generalem confessionem peragat, præsertim si bene vixit, aut male anteactæ vitæ confessionem generalem jam semel fecit; scrupulosis enim ejusmodi confessio sæpe adeo non medetur, ut potius sit tormentum periculosumque præcipitium. Nec facile permittenda est spontanea ejusmodi confessio illis, qui turpem et fœdam inter libidines vitam traxere; nam his quoque commemoratio vitæ præteritæ valde periculosa est; timendum quippe, ne sub specie pietatis, ac devotionis Dæmon eos in veteres impudicitiæ laqueos involvat; ita ut communiter satius sit, ut peracta semel seria harum rerum confessione, non amplius meminerint, neque loquantur de illis, nisi generatim, et cum horrore, detestationeque, uti amovendis sordibus abstinemus. *(Ita Lohner p. 2. c. 14. Instr. pract. 5.)*

Tandem prosequitur idem Auctor, cum nunquam fere animus pœnitentis melius dispositus sit ad Confessarii correptionem, et adhortationem recipiendam, quam tempore generalis confessionis, quo animus per dolorem de peccatis, amoremque ob beneficium remissionis conceptum emollitus, omnem facile figuram, quam Confessarius imprimere voluerit, recipiet, ideo non negligat eam præclaram occasionem, consiliaque salutaria, prout in Domino opus videbitur, opportune, et prudenter suggerat. Post hæc, si dicendum aliquid restet, addere potest Confessarius monitionem illam, quam Christus Dominus ad

infirmum 38 annis, a se prius sanatum, ac postea in Templo inventum dederat: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (Joan. 5. 14.).* S. Franciscus Xav. sæpe pœnitentem post peractam confessionem suaviter complexus dicebat: *Fili mi! serva animam tuam; nam multo stetit pretio etc.*

Paragraphus III.

De modo procedendi cum pœnitente scrupuloso.

Scrupulus est inanis apprehensio malitiæ, vel obligationis in opere, aut omissione conjunctum habens metum, et anxietatem, alicubi esse peccatum, ubi non est. Vocatur autem scrupulus ob similitudinem cum parvo lapillo, qui *scrupulus* vocatur; ut enim hic calceo inclusus pedem ambulantis cruciat, sic hominum piorum conscientiæ inhæret suspicio, et anxietas de peccato commisso, eamque non modice sauciat lancinatque.

Ut autem Confessarius recte dirigat pœnitentem scrupulosum, discernere debet, an vere talis sit, nec ne; id quod ex signis, et indiciis, quæ Auctores passim afferunt, cognoscet. Itaque Confessarius antequam pœnitentem tractet tanquam scrupulosum, magna circumspectione dispiciat, an vere scrupulosus sit; sæpe enim apparent scrupulosi, qui revera non sunt; e contra aliqui sunt scrupulosi, qui tales non apparent. Sunt, qui circa multa sunt anxii, sed non sine justa, et rationabili causa: et hæc anxietas est a gratia movente conscientiam, unde ex signis ab Autoribus hac in materia determinatis colli-

gendum est, an aliquis sit scrupulosus; quæ cum non statim semper appareant, non potest quis, dum prima, aut secunda vice Confessario se sistit, illico judicari scrupulosus. Cæterum contingit sæpe, ut aliquis sit scrupulosus in una materia, et non in altera. Scrupulosus tamen dici non debet, qui in uno tantum casu transeunter angitur inani scrupulo, quia scrupulositas frequentiam importat.

Postquam Confessarius pœnitentem vere scrupulosum esse cognoverit, conetur detegere causam scrupulorum, ut eam amoveat instar Medici, qui prius morbum, ejusque causam explorat, quam medicamenta adhibeat. Ne afflictum magis affligat, plerumque sit benignus; opus tamen quandoque est severitate, præsertim ubi judicii apparet pertinacia, aut contra Confessarii consilium confessionis repetitionem urget. Respondeat scrupuloso sine hæsitatione, nec multum distinguat, sed simpliciter enunciet, quid faciendum sit, ejus dubitationes, et anxietates in meliorem partem interpretans. Responsi autem sui raro det rationem, quia pœnitens scrupulos sic minus contemnendos putabit, rationes examinabit, reddetque dubias, inanes opponendo; hocque conflictu invalescent scrupuli, aut novi orientur. Non ostendat Confessarius scrupulos referenti se sollicite attendere, quasi sint res alicujus momenti, non petat circumstantias, non exageret, nec clarius sibi exponi petat, sed sinat scrupulosum se explicare prima aut secunda vice, ne animum despondeat. Quandoque suaviter irrideat, dum proponit dubia non fundata, jubeatque cogitare, quid velles

respondere, ab alio ejusmodi interrogatus? dicatque, ut id ipsum, quod alteri suaderet, faciat. Præter hæc Confessarius suggerat ipsi de mediis paulo post referendis, quæ huic pœnitenti videbuntur magis necessaria, aut utilia.

Solent scrupulosi vota sæpe in æstu fervoris emittere: talia raro admittet, aut approbabit Confessarius, nisi adsint omnes conditiones ad votum proprie tale requisitæ. Unde in admissione, et emissione votorum non mediocris adhibenda est cautio, maxime si in re gravi, vel ad longum tempus aliquid voveatur; cum multa sæpe per illa committantur incommoda, quæ si non præviderint incauti, subire debebunt forsitan inviti; qua de re dicitur (Eccli. 5. 3.) *displicet Deo infidelis, et stulta promissio . . . multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere;* quare vota castitatis (præcipue perpetuæ) nunquam admittat Confessarius, sine prævio Ordinarii consensu.

Vota vero jam facta, si quidem ea commutandi polleat authoritate, commutet vel in opera graviora, Deoque magis accepta, vel in æque pia, semper rationem habens circumstantiarum, v. g. itineris, quod ex voto subeundum erat, expensarum inde faciendarum etc. Caveat præterea, ne voti commutatio vergat in præjudicium tertii.

Præcipua remedia scrupuloso præscribenda sunt sequentia.

Primum est. Magna humilitate, fiducia, et resignatione in voluntatem Dei petat a Deo lumen, se prudenter dirigendi, et ex lege ejus vivendi, contemptis illis noxiis anxietatibus;

hoc si faciat constanter, paccato tamen et resignato animo, aderit Deus sua gratia, qui non amat habitare in animo perturbato.

Secundum. Maneat constanter apud eundem Confessarium, quem scit doctum, et probum: hunc sequatur in omnibus, abnegato suo proprio judicio, instar infantis, qui nescit, quid sibi expediat. Sine hac obedientia, quam Deus gratissimam habet, anxietatibus suis, impedimentisque in via virtutis vix liberabitur scrupulosus.

Tertium. Assuescat contemnere scrupulos, et contra illos ex directione sui Confessarii agere; proinde de scrupulis secum non multum agat, non deliberet, non inquirat anxie an bene, an male fundata sint, quæ animo objiciuntur. Quod si omnino scrupulis liberari non possit, nec anxietatibus eximi, suscipiat illas de manu Dei, et patienter ferat in satisfactionem pro peccatis suis, offerat se Deo ad exequendam in omnibus ejus voluntatem, ubi eam agnoverit; et aliis mentem applicet.

Quartum. Denique: magna cum sinceritate, fiducia, et reverentia semper cum suo Confessario agat, velut Dei vices gerente, ejus dicta excipiat velut de ore Dei, ejus directioni se subjiciat, ejus sententiæ acquiescat, jussis obtemperet, et eadem cæco quodam modo exequatur.

Paragraphus IV.

De modo procedendi cum superstitioso.

Notandum est ex S. Thoma, superstitionem vitium esse, quod Religioni opponitur secundum excessum, quo vel Deo cultus illegitimus,

ac vitiosus, vel creaturæ cultus indebitus exhibetur. Dicitur per excessum, non quod Deus nimium coli, et honorari possit, sed id intelligitur secundum circumstantias: eo quod exhibeas cultum, vel quem non debes, vel eo modo, quo non debes, vel illi, cui non debes.

Prioris membri duæ sunt species, quarum *altera* est, cultus indebiti, sive incongrui, quo verus Deus, sed modo indebito colitur tribuendo ei cultum falsum, v. g. si quis hodie Deum coleret per ritus et ceremonias Judæorum, circumcisionem, Agni Paschalis immolationem etc. Hæc enim significant, vitæ mortisque Christi Mysteria, tanquam futura, quæ tamen a tot jam sæculis impleta sunt. *Altera* est, cum exhibetur cultus superfluus; talis reputandus est cultus ille, qui neque ad Dei gloriam quidquam facit, neque ut mens in Deum elevetur, neque ut cupiditates refrænentur, neque aliunde ex Dei institutione, vel ex probata Ecclesiæ consuetudine quidquam habet authoritatis. *(Vide Conc. Trid. Sess. 22. de observ. et evitand. in celebr. Miss.)*

Posterius membrum, ratione rei cultæ, plures sub se species comprehendit, quibus cultus Deo debitus falso Deo, vel creaturæ defertur: nempe *idololatriam, maleficium, divinationem, et vanam observantiam;* quarum specierum definitiones, et notiones, uti et casus, quibus variæ superstitionis vitium committi solet ex autoribus passim colligere est. Regula generalis esto: 1°. Toties superstitio committitur cum pacto saltem implicito, quoties adhibentur ad quemcumque effectum media impertinentia, vana, falsa, et impropor-

tionata ad illum effectum procurandum. 2°. Quoties de se quidem bona ac sancta adhibentur, si tamen habeant circumstantias, vel ceremonias vanas, et inutiles ad effectum exspectatum admixtas. 3°. Si totum bonum sit, ac sanctum, si tamen effectus certa cum fiducia, ab ipsa rei virtute intrinseca infallibiliter, et non principaliter a Deo exspectetur. Ratio est quia certa vis hujus vel illius effectus producendi neque ex rei natura, neque ex institutione Dei, aut Ecclesiæ inest; ergo aliunde peti, censenda est; nempe ab illo, qui se transfigurat in Angelum lucis, ut sub pietatis specie decipiat. *(Spor. t. 2. in prim. præcept. c. 9. cum aliis.)*

Inde *S. Aug. (lib. 2. Doct. Christ. c. 23.)* sapienter advertit; fieri occulto quodam judicio Divino, ut cupidi malarum rerum homines, tradantur illudendi et decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos, atque decipientibus prævaricatoribus Angelis; iisque illusionibus accidere, ut *multa* observantibus secundum *observationes* suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, et sese magis, magisque inserant multiplicibus *laqueis* perniciosissimi hujus erroris. Omnes ergo artes hujusmodi noxiæ superstitionis studebit Confessarius detegere, et a suis Pœnitentibus, qui utique sentire debent, et dicere cum Davide *(ps. 39. 5.)*. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias falsas,* amovere sedulo curabit.

Hinc ad sequentia *ex Patre Busæo (t. 1. l. 3. tract. 1. c. 1.)* attendere oportet:

Primo. Superstitionis vitii potissimum suspecti esse possunt: 1°. Opiliones, qui variis dediti esse solent observationibus, ut gregem suum a lupis, vel scabie, aut aliis incommodis tueantur. 2°. Fabri ferrarii, qui circa equos sanandos variis verbis utuntur vel ex psalmis, vel ex oratione Dominica desumptis. 3°. Rustici, qui ad sananda pecora inanibus, et superstitiosis observationibus utuntur, vel ad peritos talium artium recurrunt. 4°. Vetulæ, quæ circa mulieres in partu laborantes, vanas, et superstitiosas orationes adhibent. 5°. Milites, qui secum sacra nomina deferunt, vel nescio quas Orationes ad certitudinem, quod in bello, vel duello non sint vulnerandi, nunquam aqua, igne, vel subita morte perituri etc.

Secundo. Pœnitens superstitionis, aut aliarum ejusmodi artium reus examinandus est: 1°. Quo fine tali superstitioni se addixerit? an pactum aliquod explicitum cum Dæmone inierit, aut eum ad paciscendum cum illo provocaverit? an Deo, Sacramentis etc. renunciaverit? an rebus Sacris, Sanctorum Reliquiis ad ejusmodi effectus abusus fuerit? an proximo damnum intulerit? an alios has artes docuerit? etc.

Tertio. Monendi sunt dein, eos teneri: 1°. Pactum expressum, si quod habent cum Dæmone, aut commercium abjurare, et dissolvere. 2°. Libros suos, schedas, ligaturas, chryrographum, si habent, aliaque artis instrumenta comburere. 3°. Damna illata resarcire etc.

Quarto. Cum tam occultæ sint variarum rerum virtutes naturales, non omnes illico e

vulgo, qui certis herbis, etc. tam multa gratis attribuunt, gravis superstitionis accusandi sunt, nisi a Pastoribus, aliisque viris doctis admoniti a veteri persuasione, et usu desistere nolint. Sunt autem cum suavitate, et prudentia admonendi, non cum violentia, et cruditate; illo nempe modo Sancti Apostoli, et Majores nostri paulatim ritus *Ethnicos* profligarunt et nonnunquam in *Ecclesiasticos* converterunt.

PARS QUARTA.

De Casibus reservatis.

Hanc materiam non tractabimus, nisi sub respectu absolutionis; et quidem non in genere, sed pro Diœcesi Sedunensi tantum. Ergo dicenda non semper valent pro aliis Diœcesibus.

CAPUT I.

Conditiones reservationis.

I. **Superior** (Papa, Episcopus etc.) sibi reservat casus seu peccata, *sive* restringat vel limitet jurisdictionem quam Confessario tribuit; *sive* ex Ecclesia (in qua unice absolutio valida est) ejiciat peccatorum reos.

II. **Subjectum.** Non censuratur peccator, nisi *in actu peccati* fuerit liber a metu gravi, et cognoverit censuram; ad reservationem episcopalem requiritur præterea annus ætatis 16 completus.

III. **Objectum.** Peccatum nec censura nec reservatione afficitur nisi fuerit: grave (objective et subjective), externum, et consummatum; etiam nullatenus dubium neque jure neque facto.

CAPUT II.

De absolutione a reservatis.

I. **Formulis** utuntur variis superiores ad conferendam Jurisdictionem. Porro notentur

sensus sequentium: 1°. *ab omnibus censuris,* non est idem ac: ab omnibus peccatis; 2°. *ab omnibus peccatis,* non est idem ac: ab omnibus reservatis; 3°. *ab omnibus reservatis,* non est idem ac: ab omnibus specialiter reservatis; 4°. *ab omnibus specialiter reservatis,* non est idem ac: a peccato sive complicis sive hæreseos, sive a pœna nominatim excommunicati; 5°. *a Papæ reservatis,* non est idem ac: ab Episcopo reservatis; et vice versa.

II. **Pro foro** interno absolutus, non semper haberi potest absolutus pro foro externo. Cfr. Lig. N. 70.

III. **Per litteras** nemo tenetur absolutionem a censuris expetere; non potest tamen ideo confessarius pœnitentem absolvere, si per litteras hanc facultatem sibi petere valet.

IV. **Episcopi**, ut patet, absolvere possunt a censuris vel sibi vel nemini reservatis, sed etiam a **Papæ** reservatis, si 1°. *Casus est simpliciter reservatus* et jam ad suum tribunal sit vocatus, vel si est occultus (id est probari nequit, vel saltem celari aliqua ratione potest: v. g. licet spargatur rumor Petrum percussisse clericum). Imo etiam id potest si 2°. *Casus est specialiter Papæ* reservatus; modo delinquens sit **A.** vel in articulo mortis, vel **B.** in *impossibilitate* morali adeundi Papam et adsit gravis *causa* urgens absolutionem. Tamen:

℟ 1°. **Impedimenta** duplicis generis habentur: a) *non diuturna;* in quo casu tenetur Confessarius monere pœnitentem de obligatione sub

pœna excommunicationis se postea Papæ præsentandi. b) *Diuturna:* v. g. senectus (60 anni), muliebris sexus, morbida complexio, paupertas, status religiosus, servitus, incarceratio, munus gubernandi familiam, communitatem etc. Exinde eximuntur obligatione Papam adeundi.

℣ 2°. **Causa** gravis est; instans matrimonium, Confirmatio vel partus; iter maritimum vel longinquum, tempus paschale, profectio ad militiam; periculum infamiæ, operationis chirurgicæ etc. etc.

V. **Simplex** Confessarius absolvere potest:

1°. *A S. sedi reservatis* non secus ac Episcopi et sub iisdem conditionibus. Excipitur tamen absolutio ab hæresi, quæ solo mortis articulo valet.

2°. *Ab Episcopo Sedunensi reservatis:* qui audit confessionem pœnitentis, cujus urget absolutio (Cfr. IV. NB. 2.) et qui nequit adire superiorem (Cfr. IV. NB. 1.). Item qui audit confessionem trium saltem annorum, sive sit iterata sive non. Item qui audit confessionem peccatoris qui reservatum etiam sacrilege jam superiori confessus fuerit; vel etiam simplici confessario, quem bona fide opinabatur munitum potestate in reservatum. Ubi sedulo attendas:

℣ Confessarius, qui a reservatis Episcopo absolvere desiderat extra casus supradictos, si pro singulari aliquo casu, vel saltem ad *breve tempus* (v. g. tempore alicujus missionis etc.), potest *viva voce* et petere et accipere hanc facultatem: si vero eam obtinere voluerit *usque ad revocationem* debet eam *scripto* expetere, et,

ut valida censeatur, eam scriptam et sigillo munitam accipere.

CAPUT III.

Quænam sunt peccata reservata?

I. **Episcopo Sedunensi** *reservata sunt:* 1°. *ab homine:* homicidium præmeditatum; incestus in linea recta; vel etiam in primo gradu collaterali consanguinitatis et affinitatis; percussio gravis et præmeditata patris vel matris. 2°. *Jure:* abortus; matrimonium regularium; usus falsarum apostolicarum litterarum (vid. infra: Constit. Pii IX. C.).

II. **Papæ** *reservata sunt:* 1°. Acceptatio doni a religiosa persona facti; falsa accusatio de sollicitatione. 2°. Peccata quibus annexa est censura in Constit. **„Apostolicæ sedis"** die 12. Oct. 1869 a Pio PP. IX. promulgata.

☞ Quoniam summi momenti est Constitutio ista, utpote quæ novum jus in hac materia constituat, eam fusiori calamo tractabimus. Itaque 1°. analysi ad praxim eam subjiciemus; 2°. eam integram proferemus ita, ut si quid obscurum nimis videatur, id notis illustretur.

CAPUT IV.

Constitutio „Apostolicæ Sedis".

Prænotanda.

SS. DD. N. Pius PP. IX. cognitas habens planeque perspectas difficultates in quibus versabantur Confessarii ob implicatas et a sæculis multis in jure canonico coacervatas censuras,

Celebri sua Constitutione 12. Oct. 1869 promulgata decrevit, ut ex omnibus quæ hactenus impositæ sunt, non nisi illæ quas in hac ipsa Constitutione inseruit, robur exinde habeant.

Porro quadruplicis generis censuras distinguit reservatas scilicet: A. speciali modo Romano Pontifici; B. simpliciter; C. Episcopis; D. nemini. Ad praxim inserviet sequens index:

I. Excommunicationes:

A. Papæ speciali modo reservatæ:

1. In Apostatas, hæreticos et eorum fautores.
2. In legentes censuratos libros.
3. In schismaticos.
4. In appellantes ad Concilium futurum.
5. In insequentes Cardinales, Episcopos, Nuntios.
6. In recurrentes ad forum civile contra jurisdictionem Ecclesiasticam.
7. In cogentes vocare Clericos ad tribunal civile.
8. In recurrentes ad civilem potestatem contra litteras vel acta S. Sedis.
9. In falsarios litterarum apostolicarum.
10. In absolventes complicem.
11. In usurpantes bona Ecclesiæ.
12. In invadentes terras etc. Ecclesiæ Romanæ.

In nota: *A Pio IX.* In tradentes curam Ecclesiæ vacantis.

B. Papæ simpliciter reservatæ:

1. In defendentes theses sub censura a Papa prohibitas.
2. In injicientes manus in Clericos etc.
3. In duellantes.

4. In nomen dantes sectis secretis.
5. In violantes jus asyli.
6. In violantes clausuram Monialium.
7. In Moniales violantes Clausuram virorum.
8. In reos simoniæ realis.
9. In reos simoniæ confidentialis.
10. In reos simoniæ ob ingressum in Religionem.
11. In lucrum facientes ex gratiis spiritualibus.
12. In lucrum facientes ex Missis.
13. In alienantes loca S. R. Ecclesiæ.
14. In religiosos S. Viaticum sine jure ministrantes.
15. In extrahentes reliquias etc.
16. In communicantes cum excommunicato etc.
17. In clericos communicantes . . . .

In nota: Ex Trid. 1. In absolventes a censuris specialiter reservatis.

2. In impedientes ne bona Ecclesiæ suo fini inserviant. Ex supra A in fine. In absolventes a censuris etc.

C. Episcopis et Ordinariis reservatæ.

1. In Clericos seu Monachos, matrimonium contrahentes.
2. In procurantes abortum.
3. In utentes falsis litteris apostolicis.

D. Nemini reservatæ:

1. In mandantes sepelire hæreticos etc.
2. In impedientes S. Officium.
3. In alienantes bona Ecclesiæ.
4. In non denuntiantes sollicitatores.

In nota: Ex Trid. 1. In imprimentes S. Scripturam vel Commentaria.

2. Jam obsoleta de clausura.

3. Raptum perpetrantes.
4. Impedientes libertatem matrimonii.
5. In cogentes ingressum etc. in religionem.
6. In duellantes. Cfr. B. III.

II. Suspensiones reservatæ:

1. Accipientes curam Ecclesiæ etc., contra jura.
2. Ordinantes titulo non provisos.
3. Ordinantes alienum subditum.
4. Ordinantes Clericum regularem sine titulo.
5. Religiosi ejecti.
6. Ordinati ab interdicto etc. Episcopo.
7. Clerici indebite commorantes in Urbe.

In nota: Ex Trid. 1. Violantes Canones de Ordinationibus.
2. Benedicentes sponsis in matrimonio illegitimo.
3. In Episcopos concubinarios.
4. In Episcopos qui incurrunt censuram, supra A. not. 5.

III. Interdicta reservata:

1. Universitates etc. appellantes.
2. Celebrantes in locis interdictis.

In nota: Ex Trid. 1. Non denuntiantes Episcopos absentes.
2. In Capitulum concedens dimissorias etc.
3. In Episcopos qui incurrunt censuram Not. 5. relatam.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ, ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coërcendam et emendandam sancte per singulas ætates indictæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus

Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscunque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo [1]) ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus **accipere debere.**

A.

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ.

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus:

I.

Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocunque nomine censeantur, et cujuscunque sectæ exsistant, eisque

[1]) Debent ergo præsentes censuræ, non solum ex suo textu, sed et ex anteriorum (si extant) elucidari.

credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.[1])

II.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorundem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.[2])

III.

Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

IV.

Omnes et singulos, cujuscunque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

---

[1]) **Apostata** ille est qui a fide quam profitebatur, externe recessit. — **Hæreticus** hic intelligitur, sive sectæ publice adhæreat, sive etiam privatim externe tamen hæresi. — **Credentes** potius errori quam sectæ adhærent.

[2]) Hæc censura omnibus substituitur quæ in *Indice* continebantur. — Ut autem hæc censura contrahatur, conditiones requiruntur ut: 1°. sit *liber* (non diarium) hæreticorum aut apostatarum hæresim propugnans; vel saltem ut liber ille sit nominatim (non in globo) a summo ipso Pontifice prohibitus; 2°. ut quis *sciens* jus et factum legat aut retineat, imprimat aut defendat. Cfr. nota D. 4. 1.

☞ Cæterorum librorum non ideo licita est lectio, quia non vetatur hac censura.

V.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos vel Nuntios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI.

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

VII.

Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones: item edentes legem vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.[1])

VIII.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscunque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios lædentes vel perterrefacientes.

---

[1]) Non ergo censuram incurrunt judices; sed legislatores, gubernium etc.

IX.

Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.

X.

Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

XI.

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.[1])

---

[1]) Triplex censurarum genus vigent in eos qui bona vulgo ecclesiastica dicta alienant: 1°. Generalissima et *simpliciter reservata* ferit quoscumque impedientes quomodocumque (furto, venditione, emptione, hæreditate etc.) ne bona cujuscumque generis pia, suo fini inserviant (infra: Not. 2. ex Trid. post B. 17.). — 2°. Respicere videtur œconomos etc. illorum bonorum (et *nemini reservata* est Cfr. infra D. III.), qui non usurpant sed alienant; respicit etiam ementes etc. — 3°. Respicit præsertim auctoritatem publicam (usurpantes, sequestrantes) bona specialis generis; nimirum quæ pia sunt, quia immediate *personis* applicantur. Est *specialiter reservata*. (Vid. supra.)

XII.

Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis [1]) absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; [2]) et pro eo generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus; revocatis insuper earundem respectu quibuscunque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad

---

[1]) His 12 censuris addatur ea quæ a Pio IX. lata est in Canonicos etc. qui curam Ecclesiæ cujuscumque tradit nominato a potestate laica, antequam Bullas exhibuerit. Eadem censura notatur hanc curam accipiens, adjuvans etc. Sept. 1873. Vid. Gury, edit Dumas: vol. II. p. 455. N. 992.

[2]) In quibus adjunctis ab illis censuris possint Episcopi et eorum delegati absolvere, vide supra: Part. 4. Cap. 2.

absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint.

B.

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ [1]) subjacere declaramus:

I.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; [2]) item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745; *Ubi primum* 2. Julii 1746; *Ad eradicandam* 28. Sept. 1746.

II.

Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis,

---

[1]) In quibus adjunctis possint Episcopi et eorum delegati ab illis absolvere, vide supra: Part. IV. cap. II.

[2]) Sequentes propositiones hac censura plectuntur: 45 ex Wicleff et 30 ex Huss a Mart. V, 13. Febr. 1450. — 41 Lutheri a Leone X, 16. Maj. 1520. — 79 Baji ab Urb. VIII, 6. Mart. 1641. — 1 a Clem. VIII, 2. Jun. 1602. — 5 ab Inn. IX, 2. Maj. 1679; ab eodem, 68 de Molinos 25. Nov. 1687. — 45 ab Alex. VII, 18. Mart. 1666. — 2 ab Alex. VIII, 24. Aug. 1690. — 31 ab eodem, 7. Dec. 1690. — 104 Quesnelli a Clem. XI, 6. Sept. 1713. — 5 a Bened. XIV, 10. Nov. 1752. — 85 Pistorienses a Pio VI. 28. Aug. 1794. — Has omnes vid. in Theol. morali: v. g. Gury vol. 1. etc.

de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

III.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcunque operam aut favorem præbentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV.

Nomen dantes sectæ *Massonicæ,* aut *Carboneriæ,* aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcunque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

V.

Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes.

VI.

Violantes clausuram [1]) Monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* præscriptam.

---

[1]) Etsi clausura non a S. Sede, sed ab Episcopo decreta sit.

VII.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII.

Reos simoniæ realis in Beneficiis quibuscunque, eorumque complices.

IX.

Reos simoniæ confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis.

X.

Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem.

XI.

Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2. Januarii 1569.

XII.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quæ ab hac Sede* pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26. Junii 1592 et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

XIV.

Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Cœmeteriis sive Catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

XVI.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII.

Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.[1])

C.

Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus:

---

[1]) His 17 censuris addantur sequentes: *Ex Conc. Trid.* — 18. quicumque impedit modo quocumque (furto, venditione, emptione, hæreditate etc.) ne bona cujuscunque generis pia, fini suo inserviant (Sess. XXII. c. 11.). — *Ex præs. Constit.* 19. Præsumentes absolvere innodatos censura speciali modo Papæ reservata (supra: A in fine). — Sunt ergo novem et decem.

I.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

II.

Procurantes abortum, effectu sequuto.[1])

III.

Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

D.

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ[2]) nemini reservatæ subjacere declaramus:

I.

Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II.

Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

---

[1]) Sive id efficiendo in se vel in alia, sive cooperando efficaciter.

[2]) A quibus omnes Confessarii absolvere possunt.

III.

Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* De Rebus Eccl. non alienandis.[1])

IV.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess. Nostris Gregorio XV. Const. *Universi* 20. Aug. 1622, et Benedicto XIV. Const. *Sacramentum pœnitentiæ* 1. Junii 1741.

Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis pœna in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.[2])

---

[1]) Vide supra notam 1. pag. 207.

[2]) Hæc censura, quæ limitat Tridentinam, respicit solos imprimentes et imprimi facientes Libros sacros, vel eorum interpretationem. Vid. Gury. N. 1022. His autem addi debent sequentes ex *Conc. Trident.* — 6. In Episcopos et Magistratus, qui violatam Clausuram non restitui curant (Sess. XXV. c. 6.): abrogata videtur. — 7. Raptores et eorum fautores (Sess. XXIV. c. 6.). — 8. Omnes qui cogunt alios, quominus libere matrimonium contrahant (Sess. XXIV. c. 9.). — 9. Cogentes mulierem ad monasterium ingrediendum vel ad habitum suscipiendum, vel

E.

Suspensiones latæ sententiæ summo Pontifici reservatæ.

I.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eandem Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis elementa.

III.

Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu Beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

---

ad emittendam professionem. NB. Levis metus excusatur (*Trid.* Sess. XXV. c 18.).

IV.

Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V.

Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

VI.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso; vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII.

Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum

exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.[1])

F.

Interdicta latæ sententiæ reservata.

I.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

---

[1]) His septem suspensionibus addantur sequentes: 1°. *Ex Trident.* — VIII. In violantes Canones de S. Ordinatione (Sess. VI. c. 5.; Sess. VII. c. 10.; Sess. XIV. c. 2.; Sess. XXIII. cc. 8. et 10.). — IX. In Episcopos concubinarios (Sess. XXV. c. 14.). — X. In benedicentes illegitime matrimonia (Sess. XXIV. c. 1.). — 2°. *Ex Pio IX.:* XI. In Episcopos qui incurrunt censuram Not. 5. relatam.

Denique quoscunque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.[1])

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcunque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcunque collegiorum, congregationum, cœtuum locorumque piorum cujuscunque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Cæterum decernimus, in novis quibuscunque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi,

---

[1]) Quæ a Tridentino etc. additæ sunt suspensiones vide Not. sup. (pag. 217). — Interdicta vero superaddita sunt: 1°. *A Trid :* III. In Episcopos non denuntiantes absentes (Sess. VI. c. 1.). — IV. In capitulum indebite concedens dimissorias (Sess. VII. c. 10.). — 2°. *Ex Pio IX.:* V. In Episcopos qui incurrunt censuram Not. 5. relatam (ibid.).

Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore hucusque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscunque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacunque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam, *Sess. XXIV. c. VI. de reform.*, in quibuscunque censuris Apostolicæ Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscunque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque

et non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacunque præeminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet qualis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

M. Card. Mattei Pro-Datarius.
N. Card. Parracciani Clarelli.

Visa de Curia.

Loco ✠ Plumbi. **J. Cugnoni.**

Finis.

APPENDIX.

Professio fidei orthodoxæ

juxta formam a Summis Pontificibus Pio IV. et Pio IX. præscriptam.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli, et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine; Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: Et unam Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et con-

stitutiones firmissime admitto, et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo, Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat: Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum,

verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, præsertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili Magistratu indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo: Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis,

quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Profession de la foi orthodoxe,

selon la forme prescrite par les souverains Pontifes Pie IV. et Pie IX.

Moi N . . . . avec une foi vive je crois et professe en général et en particulier tous les articles qui sont contenus dans le Symbole de la foi, en usage dans l'Eglise romaine; à savoir: Je crois en un seul Dieu, le Père tout puissant, créateur du ciel et de la terre, de toutes les choses visibles et invisibles. Et en un seul Seigneur Jésus-Christ, fils unique de Dieu, né du Père avant tous les siècles; Dieu de Dieu, lumière de lumière, vrai Dieu du vrai Dieu, engendré et non fait, consubstantiel au Père, par lequel toutes les choses ont été faites; qui pour nous autres hommes, et pour notre salut, est descendu des cieux, s'est fait chair par la vertu du St. Esprit, dans le sein de la Vierge Marie et est devenu homme. Crucifié pour nous sous Ponce Pilate, il a souffert et a été enseveli. Le troisième jour il est ressuscité selon les Ecritures, est monté au ciel, est assis à la droite du Père, et reviendra de nouveau avec gloire juger les vivants et les morts, et son règne n'aura pas de fin. Je crois au St. Esprit, qui est aussi Seigneur et qui donne la vie;

qui procède du Père et du Fils; qui est adoré et glorifié conjointement avec le Père et le Fils; qui a parlé par les prophètes. Je crois à l'Eglise une, sainte, catholique et apostolique. Je confesse un baptême pour la rémission des péchés; et j'attends la résurrection des morts, et la vie du siècle à venir. Amen.

J'admets très fermement et j'embrasse les traditions apostoliques et ecclésiastiques, ainsique les autres coutumes et les constitutions de la même Eglise. J'admets également la sainte Ecriture selon le sens que lui a attribué et que lui attribue notre Mère la sainte Eglise, à qui il appartient de juger du vrai sens et de l'interprétation des saintes Ecritures; et jamais je ne l'accepterai et ne l'interprèterai, que d'après le consentement unanime des Pères.

Je professe aussi qu'il y a vraiment et proprement sept Sacrements de la loi nouvelle, institués par Jésus-Christ Notre Seigneur, et nécessaires sinon à chaque homme du moins au salut du genre humain. Ce sont: le Baptême, la Confirmation, l'Eucharistie, la Pénitence, l'Extrême Onction, l'Ordre et le Mariage; tous confèrent la grâce; et ceux du Baptême, de la Confirmation et de l'Ordre ne peuvent sans sacrilége être réitérés. Je reçois et j'admets les rites reçus et approuvés par l'Eglise catholique dans l'administration solennelle de tous les sacrements susdits. J'embrasse et je reçois en général et en particulier tous les articles, qui ont été définis et expliqués par le saint Concile de Trente touchant le péché originel et la Justification.

Je professe également qu'à la Messe on offre un sacrifice vrai, propre et propitiatoire pour les vivants et les morts; et que dans le très saint Sacrement de l'Eucharistie, se trouvent vraiment, réellement et substantiellement, le corps et le sang avec l'âme et la Divinité de Notre Seigneur Jésus-Christ, et qu'il se fait une conversion de toute la substance du pain au corps, et de toute la substance du vin au sang de N. S., conversion que l'Eglise catholique appelle transubstantiation. J'avoue aussi que même sous une seule espèce, Jésus-Christ se trouve tout entier, et qu'on y reçoit un Sacrement véritable. Je tiens inébranlablement qu'il y a un Purgatoire, et que les âmes, qui y sont détenues, sont soulagées par les suffrages des fidèles; de même aussi que les saints qui règnent ensemble avec le Christ, doivent être honorés et invoqués, qu'ils offrent à Dieu des prières pour nous et qu'il faut vénérer leurs reliques. J'affirme fermement que les images de Jésus-Christ, de la Mère de Dieu toujours Vierge, ainsi que des autres saints, doivent être conservées et retenues, et qu'il faut leur rendre l'honneur et la vénération qui leur est due. — J'affirme aussi que J. C. a laissé à son Eglise le pouvoir des Indulgences, et que leur usage est très salutaire au peuple Chrétien. Je reconnais la sainte, catholique et apostolique Eglise Romaine comme la mère et la maîtresse de toutes les Eglises; et je promets et je jure une vraie obéissance au Pontife Romain, le successeur de saint Pierre chef des apôtres, et Vicaire de Jésus-Christ.

J'admets de même et je professe, sans doute aucun, toutes les autres choses qui ont été transmises, définies et expliquées par les saints canons et les Conciles Œcuméniques, et en particulier par le S. Concile de Trente et par le Concile Œcuménique du Vatican, relativement surtout au Primat du Pontife Romain et à son enseignement infaillible. Je condamne en même temps, je rejette et j'anathématise pareillement toute doctrine contraire et toutes les hérésies que l'Eglise a condamnées, rejetées, et anathématisées. Cette vraie foi catholique, hors de laquelle personne ne peut être sauvé, et que librement je professe et j'accepte vraiment en ce moment, moi N . . . le même que ci-dessus, je promets, je fais vœu et je jure de la retenir avec la grâce de Dieu, de la confesser intègre et inviolable jusqu'au dernier soupir de ma vie, avec toute la constance possible; de soigner dans la mesure de mes forces, que mes sujets, ou ceux, dont le soin me sera confié dans mon emploi, la retiennent, l'enseignent et la prêchent. Ainsi que Dieu me soit en aide, et ces saints Evangiles de Dieu.

Glaubensbekenntniss.

Ich N. N. glaube mit festem Glauben und bekenne Alles und Jedes, was in dem Glaubensbekenntnisse, dessen sich die heilige Römische Kirche bedient, enthalten ist, nämlich:

Ich glaube an Einen Gott, den allmächtigen Vater, Schöpfer des Himmels und der Erde, aller

sichtbaren und unsichtbaren Dinge. Und an Einen Herrn *Jesum Christum*, den eingebornen Sohn Gottes, der aus dem Vater von Ewigkeit geboren ist, Gott von Gott, Licht vom Lichte, wahrer Gott vom wahren Gott! geboren, nicht erschaffen, von gleicher Wesenheit mit dem Vater, durch den Alles gemacht ist; Welcher für uns Menschen und um unseres Heils willen vom Himmel herabgekommen ist, und durch den heiligen Geist aus Maria der Jungfrau Fleisch angenommen hat und Mensch geworden ist. Er ist auch für uns gekreuzigt worden unter Pontius Pilatus, hat gelitten und ist begraben worden, ist von den Todten wieder auferstanden am dritten Tage nach der Schrift, und ist aufgefahren in den Himmel, sitzet zur Rechten des Vaters und wird wiederkommen mit Herrlichkeit, zu richten die Lebendigen und die Todten, und Sein Reich wird kein Ende haben. Ich glaube auch an den heiligen Geist, den Herrn, der lebendig macht, der vom Vater und vom Sohne ausgeht, der mit dem Vater und dem Sohne zugleich angebetet und verherrlicht wird, der durch die Propheten geredet hat. Ich glaube *Eine, heilige, katholische* und *apostolische* Kirche. Ich bekenne Eine Taufe zur Vergebung der Sünden, und erwarte die Auferstehung der Todten und ein ewiges, zukünftiges Leben. Amen.

Ich erkenne und nehme auf das festeste an die apostolischen und kirchlichen Ueberlieferungen und die übrigen Gebräuche und Verordnungen der nämlichen Kirche.

Ebenso nehme ich die heilige Schrift in dem Sinne an, den die heilige Mutter, die Kirche, festgehalten hat und immer festhält, da es ihr zukommt, über den wahren Sinn und die Erklärung der heiligen Schrift zu urtheilen; und ich will sie nicht anders, als nach der einmüthigen Uebereinstimmung der heiligen Väter annehmen und erklären.

Auch bekenne ich, dass wahrhaft und eigentlich sieben Sakramente des neuen Bundes von Jesus Christus, unserm Herrn, eingesetzt und zum Heile des Menschengeschlechtes — wiewohl nicht alle einem jeden Menschen insbesondere — nothwendig sind; nämlich die Taufe, die Firmung, das heiligste Sakrament des Altars, die Busse, die letzte Oelung, die Priesterweihe und die Ehe; dass sie Gnade mittheilen, und dass von diesen die Taufe, die Firmung und die Priesterweihe ohne Gottesraub nicht wiederholt werden können.

Auch lasse ich zu und nehme an die bei der feierlichen Ausspendung aller obengenannten Sakramente eingeführten und bewährten Ceremonien der katholischen Kirche.

Alles und Jedes, was in dem heiligen Kirchenrathe von Trient in Betreff der Erbsünde und der Rechtfertigung entschieden und ausgesprochen worden ist, ehre und nehme ich an.

Auf gleiche Weise bekenne ich, dass in der heiligen Messe Gott ein wahres und eigentliches Versöhnungsopfer für die Lebenden und Abgestorbenen dargebracht wird, und dass in dem heiligsten Altarssakramente der Leib und das

Blut zugleich mit der Seele und der Gottheit unseres Herrn *Jesu Christi* wahrhaft, wirklich und wesentlich gegenwärtig ist, und dass eine Verwandlung der ganzen Wesenheit des Brodes in den Leib und der ganzen Wesenheit des Weines in das Blut bewirkt wird, — welche Verwandlung die katholische Kirche Transsubstantiation nennt. Auch bekenne ich, dass man unter nur Einer von beiden Gestalten *Christum* ganz und unzertheilt, und ein wahres Sakrament empfängt.

Ich glaube standhaft, dass es einen Reinigungsort gibt, und dass den darin aufgehaltenen Seelen durch die Fürbitte der Gläubigen geholfen wird. Ebenso, dass die Heiligen, welche mit *Christo* zusammen regieren, zu verehren und anzurufen sind, und dass sie Gott Gebete für uns darbringen, und dass ihre Reliquien in Ehren zu halten sind.

Ich behaupte auf's festeste, dass man die Bilder *Christi*, der allzeit jungfräulichen Gottesgebärerin und der andern Heiligen haben und beibehalten dürfe, und dass ihnen gebührende Ehre und Verehrung zu erweisen sei.

Auch bekenne ich, dass *Jesus Christus* Seiner Kirche die Gewalt hinterlassen hat, Ablässe zu ertheilen, und dass deren Gebrauch dem christlichen Volke höchst heilsam sei.

Ich erkenne die heilige katholische und apostolische Kirche als die Mutter und Lehrerin aller Kirchen, und ich verspreche und schwöre dem Römischen Papste, dem Nachfolger des

heiligen Apostelfürsten Petrus und Stellvertreter *Jesu Christi,* wahren Gehorsam.

Ebenso nehme ich unbezweifelt an und bekenne alles Uebrige, was durch die heiligen Kirchensatzungen und von den allgemeinen Kirchenversammlungen, und besonders, was von dem hochheiligen Kirchenrathe von Trient und von der allgemeinen Kirchenversammlung im Vatikan, besonders in Bezug auf den Primat und das unfehlbare Lehramt des Römischen Papstes, überliefert, entschieden und erklärt worden ist, und zugleich verurtheile, verwerfe und verdamme ich auch Alles, was diesem entgegen ist, nebst allen Irrlehren, die von der Kirche verurtheilt, verworfen und verdammt worden sind.

Diesen wahren katholischen Glauben, ausser welchem Niemand selig werden kann, den ich jetzt freiwillig bekenne und aufrichtig annehme, will ich auch ganz und unverletzt bis zum letzten Hauche meines Lebens auf's standhafteste (mit Gottes Beistand) bewahren und bekennen, und will, soviel an mir liegt, mich bemühen, dass derselbe von meinen Untergebenen, oder von denen, deren Sorge mir in meinem Amte obliegen wird, gehalten, gelehrt und verkündet werde. Das verspreche, gelobe und schwöre ich N. N., so wahr mir Gott helfe, und dieses Sein heiliges Evangelium!

INDEX
CONSTITUTIONUM SYNODALIUM.

Caput I.
De Religione et Fide Catholica.

Caput II.
De Personis Ecclesiasticis.

Caput III.

De statu, vita, et honestate clericorum.

Caput IV.

Caput V.

Caput VI.

Caput VII.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Caput VIII.

De Bonis Ecclesiasticis.

Caput IX.

De judicio ecclesiastico, et nonnullis criminalibus.

Caput X.

De Pœnis Ecclesiasticis.

Caput XI.

De Visitationibus.

Caput XII.

De synodo diœcesana.

INDEX
INSTRUCTIONIS PASTORALIS.

PARS PRIMA.
Generatim observanda.

Caput I.
Quæ Confessarium, antequam Confessiones excipiat, observare deceat?

Caput II.
Quæ Confessario observanda in decursu Confessionis.

Caput III.

Quæ Confessarius post auditam Pœnitentis Confessionem observare debeat?

PARS SECUNDA.

De variis personarum generibus.

Caput I.

Quæ Confessario, ut Medico in confessione observanda circa peccata magis obvia, et de remediis contra illa suggerendis.

Caput II.

Quæ Confessarium circa personas ætate, sexu, vel statu diversas observare oporteat?

PARS TERTIA.
De variis peccatorum generibus.

Caput I.

Quæ in Confessione hominis constituti in occasione proxima peccandi, vel consuetudinarii observanda?

Caput II.

Quæ in Confessione pœnitentis diu invalide confessi, anxii de præteritis Confessionibus, aut hominis scrupulosi observanda?

PARS QUARTA.
De casibus reservatis.

Caput I.

Conditiones reservationis.

Caput II.

De absolutione a reservatis.

Caput III.

Quænam sunt peccata reservata?

Caput IV.

Constitutio „Apostolicæ Sedis".

I. Excommunicationes:

II. Suspensiones:

III. Interdicta:

Appendix.

Monitum.

Liber præsens Clero Diœcesis Sedunensis destinatur. Quapropter curent Sacerdotes singuli, ut in manus laicorum non veniat. Ad hoc juvabit, si RR. Parochi, Vicarii et Rectores omnes qui Beneficio sunt insigniti illum emant solvantque ex ære ipsius Fabricæ, vel saltem illum inter libros qui in Sacristia asservantur recondant.